


AB

153247



1. Bericht von dem
Bodenthal so unter
der Meißnischen
Theologen nahmen
gegangen. 1584

2. Protomata Christiani
concordia. 1593

3. quaestiones de formula
concordia. 1602

2

EROTEMA-
TA CHRISTIANAE
ET INVICTAE CON-

CORDIAE, ANNO 80, IN
electoratu Saxonico
publicatae.

Concinnata

Per

M. VOLFGANGVM MAMM
PHRASIVM SUPERINTEN-
dentem Episcopatus Mis-
nensis.



I E N Æ

Typis Tobiaë Steinmanni.

M. D. XCIII.

DE



con
vit
pac
cis
nob
am
ue
ne
ta
tur
do
sat



DECANVS
ET PROFESSORES
COLLEGII THEOLOGICI
in Academia Ienensi verita-
tis & pacis amanti-
bus S.



CITVM perquam est o-
raculum illud Propheti-
cū, *Zachar. 8.*
Tantum veritatem & pa-
cem diligite. In quo consi-
derando primū observa-
tionem meretur illud, quod
combinationem habet commendatio boni
utriusq;. Nam non veritatis solius: neque
pacis solius: sed veritatis cum pace, & pa-
cis cum veritate coniuncte amor in precio
nobis esse iubetur. Est sanè veritatis laus
ampla atq; eximia, si quis ei pura mente fa-
ueat. Quisquis verò studium huius, libidi-
ne contendendi contaminat, aut posthabi-
ta saltem pace excolit, perinde facit, ac qui
turbidum & feculentum ex dolij pleni fun-
do vinū haurit, quod limpidum ex summi-
tate eiusdem delibare poterat. Iam specio-

sum quidem est, teste Hilario, nomen p̄-
cis, & pulchra opinio unitatis. Sed quis am-
bigat, eam solam unitatem Ecclesie pacem
esse, qua Christi est? Non est ergo monitu
oraculi istius committendum, ut quis veri-
tatis studium sine pacis cura, aut hanc
sine illo unquam profiteatur.

Alterum illud est, quod ordinem spes
Etat, de quo nos oraculum idem admonet.
Quia enim iniuria temporum contingit
interdum, ut diuortium utriusq; boni ne-
cessarium sese offerat: potiozem veritatis,
quam pacis rationem nobis debere esse, ora-
culum ipsum innuit. Cuiusdam de re litera-
ria preclarè meriti vox ista quondam in-
sonuit nimirum profectò insulsa, Mibi a-
deò inuisa est discordia, ut veritas etiam
displiceat seditiosa. Verum de religione re-
ctè sentientibus, adeò chara est veritas,
ut pax quæuis displiceat, coniuncta cum
mendacio. Virumq; hoc, quod dictum est,
pensi magnoperè videtur habuisse reueren-
dus & doctissimus Vir M. Wolfgangus
Mamphrasius, adornato eo, cui nunc præ-
famur, libello. Producturus enim ex penu
ingenij sui aliquid ad rem Ecclesie iuvan-
dam

dam publicam, veritatis asserenda tale potissimum suscipere patrocinium voluit, cuius ex libro illo evotum de prompta esset materia, ut una eademque vice & veritatis, & concordia amorem cura sibi esse publice ostenderet. Quo documento satis liquet, piam sanè esse, & devotionis sanctæ plenam, quam in lucubratione ista operam Ecclesiæ Evangelicæ præstitit.

Neg, verò piam magis, quam utilem atq, commodam veritatis atq, pacis amantibus omnibus operam vir ille præclarus navavit. Equidem verum est, & nullo magis, quam hoc nostro seculo verum fuit, quod Ecclesiastes scribit, Scribendi libros nullus Eccle. 12 finis est. Nec illud unus inficias, quod haud abs re aliqui iudicant, quia instar bilantium sunt scientia & conscientia, quarum una cum sursum agitur, alteram deprimi necesse est: magis conscientia, quam scientiæ parata adminiculis seculo isti opus esse, cui conscientia parum, scientia multum esse, res ipsa testis est, cui incommodo ex modo scribendorum librorum constituto, aliquid fortè etiam remediij adhiberi queat? Verum non novi libri sunt, quos vel ex situ ac ma-

cie vendicat nonnullorum diligentia uti-
lissimos: vel semel scriptos ita illustrat atque
exornat ingeniosa quorundam industria
atq; sagacitas, ut illorum splendorem agno-
scere demum, vim penitus intueri. usum ea
nucleatius persentiscere lectores veterum
librorum incipiunt. Punctum hoc utilitatis
tulisse auctorem ἐρωτηματολόγιον istius libelli de-
prehendet, quisquis recordatus lectionis pri-
stinae, qua Formulam Concordia evolvit,
menti, lumen: memoria, ordinem: iudicio,
aciem adiunxerit, qua singula atq; omnia
accuratissimè in hoc commentariolo ex For-
mula Concordia inuenta eruit, eruta diges-
sit, digesta auctor noster monstravit & expo-
suit, fidelitate certè, quàm felicitate non
maiore. Cuius utriusq; nomine ut Ecclesia
se auctori beneficio haud vulgari obstru-
ctam esse agnoscat, & inuentus hac χεῖρα
ὑπομνήσσει, felicissimè sese ad lectionem libri
Concordia accessuram esse intelligat, hac
nostra praefatione efficere unicè nobis statu-
tum fuit. Deus operas nostras in sacro quo-
cunq; studio positas, suo spiritu paternè re-
gat, & ad Ecclesia ac discentium omnium
fructum ac salutem benignè dirigat. Amen.

REVE-



REVEREN-
DA DIGNITATE, NO-
BILITATE GENERIS,

EXIMIA DOCTRINARVM ERV-
ditione, sapientia, omniumque virtutum laude
Amplissimis & præstantissimis Viris, Dominis
Præpositis, Decanis, Senioribus & ceteris Eccle-
siæ Cathedralis tam Misnensis quam Vvurtzen-
sis Collegiatae Canonicis, nec non Dioceseos
Misnensis Consiliarijs clarissimis,

Dominis & Patronis suis sum-
mo summae obseruan-
tia studio Co-
lendis.



*Vplex est Reverendissi-
mi & Amplissimi, & c.
Viri docendi ratio, ἀποδει-
κτικὴ & ἐλεγκτικὴ, unde in ministerio
Ecclesiastico, iuxta Paulum, non*

A 4 satis

satis est διδάκτικον esse, seu δυνατόν πα-
ρακαλεῖν ἐν διδασκαλίᾳ τῆ ὑγιαίνουσα: sed
etiam iubet πιστομίζειν καὶ ἐλέγχειν τὰς
ἀντιλέγοντας. Non vult nos conni-
uere ad errores, nec silentio nostro
fenestram aperiri ad spargendas
corruptelas in Ecclesia, semper e-
nim insidias struit Satan munitio-
ni nostra, & cuniculis actis eam
subruere molitur. Hic hostis aliter
repelli non potest, nisi gladio verbi
diuini. Unde aeternus pater synce-
ros verbi sui praecones exuscitatos,
cognitione linguarum & rerum
necessariorum, iudicijq; dexte-
ritate exornauit, ut hisce dua-
bus Theologicis virtutibus excelle-
rent.

Sic hoc postremo mundi tempo-
re,

re, verbo Dei (quod ex densissimis
Antichristi tenebris per diuinum
Et magnum illum Lutherum, cur-
rum Et aurigam Israël erutum Et
in candelabrum apertum Et ex-
celsum collocatum, vix affloresce-
bat) tenebris rursus innoluto, illud
miraculosissime in clara posuit lu-
ce, Et depulsis Concordia impedi-
mentis, profligatisq; errorum pre-
stigijs, pristino restituit vigori. Vo-
cavit enim Et exaltauit volunta-
tis suae nuncios qui mandata sua
Ecclesiae deferrent, Et contamina-
ta religionis existerent repurgato-
res.

Quod enim nunc in Sacrosan-
cto Concordiae libro praestigiae fana-
ticorum, Spirituum deteguntur,

A S erro

errores convincuntur, salutaris
verò doctrina divinitus inspirata
liquidissimè proponitur, & Scri-
ptura testimonijs munitur: id pri-
mùm soli beneficentiæ divinæ asscri-
bendum est: deinde hisce organis
divinis debetur. Cum igitur ille li-
ber absolutam doctrinæ corpus sit,
quo in docendo & arguendo, in ve-
ritate defendenda & omni hæreodi-
δασκαλία, omnibusque corruptelis,
quæ post Megalandri Lutheri o-
bitum in Ecclesias irrepserunt, tu-
tò uti possimus, pro virili eniten-
dum est, ut inculcetur iuventuti
Scholasticæ quocunq; modo fieri po-
test. Formam autem συζητικὴν sin-
gulariter perspicuitati commo-
dam esse cuilibet est notissimum.

Quam

Quam etiam vehementissime ap-
probavit D.D. Selneckerus, cuius
nomine eximius quidam Theolo-
gus ad me scripsit Anno 8210.
Decembr. hac verba: Optat Do-
minus Selneckerus doctrinam com-
prehensam in libro *Ἡς ὁμοιοίας* Chri-
stiane, redigi in questiones & re-
sponsiones, in usum puerorum &
aliorum hominum simplicium ma-
ximè τῶν ἀρχαμμάτων. Id non incom-
modè & sine ullo negotio à te fieri
posse arbitror, cui liber iste notissi-
mus est. Et quia operas tuas Ec-
clesiæ consecrasti & pia iuventuti,
que non minima pars est Ecclesiæ,
spero te haud gravatim hunc labo-
rem informandorum τῶν ἐρωτημάτων
suscepturum adhibitis brevissimis
respon-

responsionibus ex eodem libro peti-
tis. Quo officio ut Ecclesia tuum
studium probabis & D. Selnece-
ro gratum facies: ita dubio procul
& Dei remuneratoris piarum lucu-
brationum liberalissimi benignita-
tem experieris, & D. Selnece-
rum una mecum magis tibi de-
vincies. Deinceps accessit etiam
approbatio Reuerendi & Am-
pliss. Collegij Theologici Jenensis.
Denique animaduerti hanc studij
qualiscunq; elaborationem viris
doctiss. nec non amicis meis qui-
busdam precipuis non tantum
probari sed vtilem quoque videri
legentibus, si per typos euulgare-
tur. Nec defuerunt qui huma-
niter me ut alijs communicarem
per-

persape inuitarunt. Quare pre-
lo tandem subijci passus sum.

Eam vero opellam, quò gra-
tior esset legentibus vobis Viri
Reuerenda Dignitate, Nobilis-
tate Generis, ac eruditione vir-
tutumq; laude eximia prestantis-
simi, dedicare & cum ea qua par
est compellationis reuerentia pe-
culiari quasi assignatione trans-
mittere placuit, nec dubito quin
pro virtutibus amplissimis diui-
nitus vobis concessis hoc officium
meum boni sitis consulturi, & quò
illud Sacrosanctum depositum li-
bri Concordiæ in utroque inclyto
Presulatu, tam Misereusi, quam
Wurtzensi illibatum conserue-
tur;

tur, inuigilaturi. Valetē feliciter in Domino, parastate omnium nostrum fidelissimo. Datē VVur-
tzene Anno incarnati Christi 93.
16. Junij.

V. M. & A.

Summē & reuerenter
colens.

M. VVolfgangus Mamphrasius
Superintendens Episcopatus
Misnensis.

EPIGRAMMA.

LA y s hæc magna fuit, quod magni in-
clusit Homeri
Ars veterum in curtam maxima scripta
nucem.

At quantam Vvolfgange putes doctissi-
me laudem,

Dogmata quæ toties exagitata, dare.
Quæ sumptu magno constant, magnoq;
labore

Tu facis vt minimo quilibet ære paret.
Nec paret ære modo, sed & omnia men-
te capessat

Quæ falsis hostis tecta fuere Strophis.
Perge, quod ingenij cœpisti sedulus
ausu,

Et C H R I S T V M constans arte tuere
pia.

*Jacobus VVagnerus Freib. pastor
Burckharsdorffensis.*



Epistola

In nomine domini Amen
Ad reverendum in christo patrem
magistram

Magistram A. Volfgangum
magistram

Magistram que totum
magistram

Magistram que totum
magistram

Magistram que totum
magistram

Magistram que totum
magistram

Magistram que totum
magistram



Q
CV

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.
- 5.
- 6.
- 7.
- 8.
- 9.
- 10.
- 11.

fun
tith

*QUOT SVNT ARTI-
CVLI, DE QVIBVS CONTRO-
uersia sunt orta inter Augustanae
confessionis Theo-
logos?*

Vndecim.

1. De Peccato Originis.
2. De Libero arbitrio.
3. De Iustitia fidei coram Deo.
4. De Bonis operibus.
5. De Definitione Euangelij.
6. De Tertio legis vsu.
7. De Cœna Domini.
8. De Persona Christi.
9. De Descensu Christi ad inferos.
10. De Ceremonijs seu Adiaphoris.
11. De Prædestinatione.

*Quomodo explicandi sunt hi
articuli?*

Ad Enuclationem singulorum tria
sunt tractanda. 1. Status. 2. Thesis. 3. An-
tithesis.

Quid est Status?

Est principalis quaestio, quæ conti-
net

B

net

net summam controuersiaē, ad quam omnia referuntur.

Quid est Thesis?

Est sincera doctrina solidissimis sacrae scripturae fundamentis munita & confirmata.

Quid est antithesis.

Est doctrina falsa & damnanda, sincere doctrinae repugnans.

I. LOCVS

DE PECCATO ORIGINIS.

Status.

Quis est Status controuersiaē?

An peccatum originis sit substantia ipsa, natura & essentia hominis: An uero inter hominis substantiam, naturam, essentiam, & inter peccatum Originale aliquod sit discrimen, & quidem tale, ut aliud sit ipsa natura, & aliud ipsum peccatum, quod in natura haeret, & naturam corrumpit.

Thesis.

Quae sunt in thesi obseruanda?

Tria

1.

2.

3.

Q

agr

mo

rig

om

Et l

& p

ter

us i

hil

ret,

na e

rup

D

auto

Pfal

tu es

in m

mine

Ioha

Tria precipue.

1. Quænam peccata sint agnoscenda.
2. Quis sit autor peccati.
3. Quid & quantum sit peccatum originis.

Quæ igitur peccata sunt agnoscenda?

Non tantum peccata actualia agnosci debent, sed etiam & in primis morbus hæreditarius, seu peccatum originis pro capite, scaturigine, & fonte omnium peccatorum est habendum. Et hoc malum Lutherus vocavit naturæ & personæ peccatum, ut discrimen inter peccatum originale & actuale melius intelligeretur. Etsi enim homo nihil mali cogitaret, loqueretur, aut ageret, tamen nihilominus natura & persona esset peccatrix, id est, peccato corrupta, & iræ Dei obnoxia.

Quis est autor peccati?

Deus non est creator, conditor, nec autor peccati, sic enim inquit David Psal. 5. Non volens Deus iniquitatem tu es. Et Ose. 13. Perditio ex te Israel, in me verò salus. Sed Diabolus & homines simul. De Diabolo ait Christus Iohan. 8. Quando mendacium loquitur,

tur, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater mendacij. Et 1. Iohan. 3. ab initio peccat. De homine Paulus testatur Rom. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & sic mors in omnes homines inuasit, eò quod omnes peccauerunt.

Ergone etiam post lapsum Deus non creat, non propagat peccatum?

Etiam in hac naturæ corruptione Deus non creat in nobis peccatum. Discernenda enim adhuc sunt opus Dei, & opus Diaboli, natura hominis, & viciu naturæ. Creatio, propagatio, & sustentatio humanæ substantiæ est opus Dei, non tantum initio seu ante lapsum, sed etiam post. Psal. 119. Manus tuæ fecerunt me. Psal. 139. Mirabiliter formatus sum. Ier. 1. Priusquam te formarem in ventre noui te, &c. vt infra docebitur rursum. Propagatio verò peccati est ex parentibus. Nam ex semine, illa lue corrupto, per carnalem conceptionem & natiuitatem ad posterios transmittunt Psal. 51. Ecce in peccatis conceptus sum Eph. 2. Natura filij iræ.

Enar-

*Enarra quæso, quid & quantum sit
peccatum Originis?*

Apologia Augustanæ confessionis
quinque capitibus hanc doctrinam com-
prehendit.

Quæ nam sunt illa capita?

1. Est quod peccatum Originis sit re-
atus propter lapsum Adæ, quo totum
genus humanum obligatur ad mortem.
Rom. 5. Per unius delictum mors re-
gnavit in omnes. Item. Unius inobæ-
dientia peccatores constituti sunt
multi.

2. Quod sit defectus iusticiæ con-
creatæ, quem Paulus vocat carentiam
gloriæ Dei, inquit: Omnes peccaue-
runt, & carent gloria Dei. Et huc perti-
nent verba Apologiæ. Descriptio pec-
cati originis detrahit naturæ non rena-
tæ & dona, & vim seu facultatem, &
actus inchoandi & efficiendi spiritualia.

1. Cor. 2. Matt. 11. Iohan. 1. 2. Cor. 3.

3. Quod sit corruptio totius naturæ
& omnium virium profundissima, quæ
in locum imaginis Dei successit, & in
omnes homines hæreditariâ propaga-
tione transfunditur. Rom. 7. Non ha-

bitat in me vllum bonum, & 8. Sensus
carnis est inimicitia aduersus DEVM.
Gen. 6. 8. Ier. 17. Psal. 14. Rom. 3. Esa.
1. Psal. 38.

4. Est de poenis peccati originis, quæ
sunt:

1. 2. I. Ira Dei. Eph. 2. II. Omnis gene-
ris miseriæ & huius vitæ calamitates
3. Ro. 5. III. Tyrannis Satanæ 2. Tim.
4. 5. 2. Eph. 2. 1. Pet. 5. Gen. 3. IIII. Mors
corporis. Roman. 6. 8. V. Aeterna
damnatio corporis & animæ. Ioh. 3.

5. Est de liberatione à peccato. Tàm
horrendum est, vt nullo alio modo nisi
per Christum (in credentibus) coram
Deo contegatur & condonetur, & per
Spiritus sancti regenerationem & reno-
uationem, natura hoc malo infecta tan-
tummodo sanetur, quæ tamen sanatio
hic tantum inchoatur, & altera demum
vita absoluetur.

Antithesis.

Quæ sunt in antithesi obseruanda?

Duo præcipuè.

1. Primò damnandi sunt pelagiani. 11.
Deinde Manichæi. Hi enim contrarijs
senten-

sententijs conuellunt hanc doctrinam.
Istos ergò duos scopulos per medium
transimus & vitamus.

Quæ sunt dogmata Pelagianorum?

1. Contendunt peccatū Originis tantum esse reatum aut culpam propter lapsum Adæ, sine vlllo naturæ vicio.
2. Prauas concupiscentias esse naturales motus, non esse peccata.
3. Malum hæreditarium non esse propriè & vere dignum æternâ morte.
4. Naturam hominis post lapsum esse incorruptam, & naturalia mansisse integra.
5. Peccatum originis esse externum næuum, aut asperam maculam: aut corruptionem tantum accidentium & qualitatum, sub qua natura adhuc bonas vires etiam in rebus spiritualibus retinet.
6. Peccatum originis non esse defectum, sed externum impedimentum spiritualium virium: ita vt remoto isto impedimento ipsa substantia per se, aut in se, aut ex se habeat spirituales vires ad cooperandum aptas, sicut si allium Magnetis illitum abstergatur, &c.

B 4 7. Na-

7. Naturam valde quidem esse debilitatam & corruptam, sed tamen adhuc in ea residere capacitatem, aptitudinem, modum agendi seu facultatem, & modiculam aliquam vim, qua cooperari in spiritualibus possit.

Cur damnas hæc dogmata?

Quia præcipuos fidei articulos corrumpunt.

1. Delent doctrinam de peccato originali, quod tria illa nunquam diuellenda, nempe Reatum, Defectum, & corruptionem complectitur.

2. Meritum Christi, qui nos à mole peccati & eius poenis & effectibus liberavit, extenuant.

3. Articulum regenerationis, quæ in solidum Spiritui sancto ascribitur, explosa omni energia, eneruant.

Quæ sunt dogmata Manichæorum?

1. Docent, quod natura hominis à Deo pura & bona creata sit: sed post lapsum extrinsecus peccatū originis (tanquam quiddam substantiale) per Diabolum in naturam infusum, & cum ea permixtum, quemadmodum venenum vino admiscetur.

2. Non

2. Non ipsum animale[m] hominem, sed aliquid aliud & peregrinum quiddam, quod sit in homine peccare: ideoque non ipsam naturam, sed tantummodo peccatum originis, in homine existens, accusari.

3. Peccatum Originis proprie & sine discrimine esse ipsam substantiam, naturam, & essentiam hominis, & nullum omnino esse discrimen inter naturam & peccatum originis.

Cur damnas primum dogma?

Quia Diabolus nullius substantiæ creator seu factor est, sed omnis substantia, in quantum substantia, à Deo est. Introducto autem hoc furore, quod Satanus aliquod malum substantiale creaverit, aut formaverit, & illud naturæ primorum parentum admiscuerit, opus creationis diabolo ascribitur. Secundo, seductione Satanæ iustitiam concretam amisit genus humanum, & defectu & vulneratione (quorum malorum Satan causa est) tota natura corrupta est: ut iam illa ipsa cum defectu & corruptione ad omnes homines hæreditario propagetur. Tertiò, propagatio peccati

B s docet:

docet: Naturam hominis post lapsum non puram aut bonam primùm creari, & deinde per peccatum corrumpi: & peccatum non esse quiddam in natura, vel extra naturam per se subsistens, nec esse ipsam essentiam hominis: nec denique eo modo peccatum originis à natura esse discernendum, quasi ipsa coram Deo pura, bona, sancta, & incorrupta adhuc extaret, & tantum inhabitans peccatum originis esset malum.

Cur damnas secundum dogma?

Quia infringitur doctrina de peccato originis, quod, ut supra astructum est, totam naturam corrumpit, adeò ut nihil boni habitet in ea. Hinc fit, ut tota natura hominis accusetur & damnetur, nisi fiat remissio. Hoc autem non intelligendum est per se, id est, quod lex accuset substantiam, propterea quòd substantia est. Sic enim est res bona, & DEI creatura: sed per & propter accidens, id est, propter malum originis, quod accessit, corrumpit, deformavit, foedavit, & viciauit substantiam.

Cur damnas tertium dogma?

Quia licet humana natura tota sit pecca-

pe
mo
na
tam
qua
qu
one
& d
iun
ant
à co

2

HO

1.

2.

3.

4.

De

So

initia

etiam

ption

stræ

peccato deprauata, nec ad oculum
monstrari possint distinctè hæc duo: ipsa
natura sola, & ipsum peccatum solum:
tamen non vnum & idem est, Natura
quæ peccato polluta est, & peccatum
quod naturam polluit, sed considerati-
one & cogitatione distingui & possunt
& debent. Non enim omnia quæ simul
iuncta sunt, vt nullo sensu discerni que-
ant sunt vnum & idem. Certè animam
à corpore secernis non nisi mente.

*Quid impellit te ad tale discrimen in hac
controuersia constituendum?*

Hoc flagitant & cogunt præcipui fidei
articuli quatuor:

1. De Creatione.
2. De Redemptione.
3. De Sanctificatione.
4. De Resurrectione.

*Demonstra quod primus articulus tale
discrimen flagitet.*

Scriptura testatur, Deum non tantum
initialiter, ratione primæ creationis, sed
etiam post lapsum in hac naturæ corru-
ptione esse creatorem, formatorem no-
stræ substantiæ. Iob. 10. Manus tuæ for-
maue-

mauerunt me &c. Nonne sicut lac multifi-
fisti me, & sicut caseum coagulasti: pelle
& carne vestijsti me, ossibus & nervis
compegisti me, &c. Esa. Dominus factor
tuus, & formator tuus ex utero. Deut.
32. Iob. 33. Plal. 119. 139. Ier. 1. Eccle. 12.
Esa. 45. 54. 64. Apoc. 4. 17. Ergo est di-
scrimen inter hominis naturam & pec-
catum, alioquin aut Deus, qui creator
est substantiæ, simul etiam autor erit
peccati: aut Diabolus, quia peccati au-
tor est, erit etiam creator hominum: sic
scilicet ad duo extrema Manichæi alli-
dunt.

Demonstra quod secundus flagitet?

Si nulla est inter peccatum & natu-
ram distinctio, Christus assumpsit aut pec-
catum, quia naturam nostram assumpsit,
aut assumpsit substantiam non nostræ na-
turæ, sed alterius speciei. Sed vtrumque
est absurdissimum. Peccatū enim, quod
in æternum odit & detestatur, non as-
sumsit. Deinde semen Abrahæ seu no-
stram naturam absq; peccato. Hebr. 2.
Quemadmodum pueri communicarūt
carni & sanguini, similiter & Christus
particeps factus est eorundem. Phil. 2.

Serui

Serui formâ assumptâ in similitudinem
hominum factus, & habitu inuentus vt
homo. Ergo peccatum & natura non
sunt idem, sed sunt discernenda.

Demonstra quod tertius flagitet.

Christus hominem à peccato abluit,
sanctificat, donat Spiritu sancto, 1. Ioh. 1.
Sanguis Iesu Christi emundat nos (non
dicit peccatum, sed nos) à peccatis.
Matt. 9. Confide fili, tibi (non dicit pec-
cato) remittuntur peccata. Gal. 4. Misit
Deus Spiritum filij sui in corda nostra
(non dicit in peccata) Ergo peccatum
non est ipsemet homo. Vide igitur, quo
abripiantur Manichæi, contendentes
peccatum baptizari, sanctificari, salua-
ri, &c.

Demonstra quod quartus flagitet.

Si nullum est discrimen inter substan-
tiam & peccatum, vel nullam fore huius
carnis resurrectionem: vel aliam & al-
terius speciei substantiam in vita secu-
tura nos habituros: vel ipsum peccatum
in nouissimo die resurrecturum, & in vi-
ta æterna in electis mansurum.

Sed hæc omnia sunt absurdissima. Erit
enim resurrectio, & quidem huius car-
nis.

nis, Iob. 19. In hac carne mea videbo
Dominum. Et peccatum nunquam re-
surgit ad vitam. Ergo peccatum non est
substantia.

*Explicato toto articulo, dic mihi quæso
significationes vocum in hac contro-
uersia vsitatarum?*

Ad cauendas λογολαχίας æquiuoca-
tiones vocabulorum necesse est expli-
cari, vt naturæ, peccati, accidentis, &c.

*Quam habet significationem vox
naturæ?*

Dupliciter vsurpatur illa vox præci-
puè. 1. Pro ipsa substantia, corpore &
anima hominis, vt Deus creat hominem
naturam, id est, substantiam, corpus &
animam. 2. Pro qualitate, vi & pro-
prietate rei (tàm in bonam, quàm in ma-
lam partem) ponitur: Vt natura aurium
est audire, id est, proprietas & facultas.
Item Serpentis natura est icere. Hic non
exprimitur serpentis substantia, sed ma-
litia. Et sic Lutherus vtitur voce Naturæ,
inquiens, Peccatum & peccare esse ho-
minis naturam.

Quam

*Quam habet significationem vox
peccati?*

Vocabulo peccati propriè ipsa de-
prauatio naturæ nostræ intelligitur. Sed
propter profundissimam corruptionem
& arctissimam inseparabilemque in hac
vita coniunctionem substantiæ & pec-
cati originalis interdum concretum seu
subiectum, id est, ipsum hominem in
quo peccatum habitat, simul comple-
ctitur *μεσωρμηνῶς* seu *συυεδοχικῶς*, salua
tamen distinctione. Ex hac commone-
factione phrases D. Lutheri simplicissi-
mè declarantur, cum dicit: Tua natiui-
tas, tua tota substantia est peccatum, id
est, peccatrix seu peccato polluta. Item
cum vocat peccatum substantiale, per-
sonale, essentiale; arctissimam copula-
tionem naturæ & peccati exprimit: &
peccatum originis ab actualibus deli-
ctis optimè discernit.

*Cur introducuntur in hunc articulum fi-
dei vocabula philosophica substan-
tia & accidentis?*

Illà scholastica & Dialectica vocabu-
la non sunt vulgò pro concione incul-
canda,

canda, sed ad eruditos in scholas remittenda. Eruditi enim pro immediata diuisione vtuntur, vt quicquid sit, vel substantia vel accidens.

Quid igitur est substantia?

Est quæ per se subsistit, estque quidam ὄφισάμενον, nec in alio tantum hæret,

Quid est Accidens?

Est quod non per se subsistit, nec est pars substantiæ, sed in alio est mutabiliter.

Ergo peccatum est accidens?

Cum non sit substantia, sequitur esse accidens. Nam cui conuenit definitum, ei conuenit & definitio, & e contra. Sed per se non subsistere, seu non esse substantiam, nec partem esse alterius, sed in alio esse mutabiliter, est definitio accidentis: & hæc omnia tribuuntur peccato originis, Non enim per se subsistit, & remouebitur, sicut eius expurgatio in hac vita inchoatur. Ergo peccatum originis rectè dicitur accidens. Et huc pertinent Pauli testimonia: Peccatum mihi adiacet Rom. 7. tenacissime inhæret Hebr. 12. Inhabitat in me Rom. 7.

scilicet

*Sed cum accidens sit res leuis, sequetur &
peccatum Originis esse leue quiddam, &
ita doctrina de peccato exte-
nuabitur.*

Diuersæ sunt quæstiones. An pecca-
tum sit accidens, & quale sit accidens.
Priorem explicauimus, Ergo posterior et-
iam declaranda est. Huius quæstionis
declarationem non Philosophia, nec
Dialectica, sed sola scriptura affert & te-
statur, quod peccatum sit ineffabile ma-
lum, quod rotam substantiam infecit,
polluit, viciauit, corrupit, & nihil boni
reliquit, ita vt totus homo planè sit mor-
tuus in spiritualibus. Non ergò fingi-
mus Dialecticum aut Physicum acci-
dens, sed Theologicum esse asserimus.
Et sic voce accidentis peccatum origi-
nis non extenuatur, sed potius discrimen
inter opus DEI & Diaboli euiden-
tissimè monstratur. Et huc quadrat Lu-
theri testimonium, vtentis voce Quali-
tatis cum dicit: siue peccatum origi-
nis Qualitatem siue morbum
vocaues, profectò ex-
tremum malum
est.

C

DE

II. LOCVS.

DE LIBERO ARBITRIO SEV *de Viribus humanis.*

Status.

Quis est Status controuersia?

Vt sunt quatuor hominis status, Integer, Corruptus, Renatus, Glorificationis: Sic & quadruplex est liberi arbitrij consideratio. Est enim integrum seu ante lapsum: Corruptum post lapsum ante conuersionem. Renatum post conuersionem: Deniq; Glorificatum post resurrectionem. De libero arbitrio iuxta secundam cōsiderationem hic controuertitur, & quidem de eius obiecto spirituali, non externo: An homo non renatus ad DEI gratiam apprehendendam sese applicare, eam amplecti, & uerbo DEI assentiri possit.

Thesis.

Quæ sunt in Thesi obseruanda?

Tria capita.

1. Quòd hominis non renati intellectus, cor, & uoluntas in rebus spiritualibus, id est, in conuersione aut regeneratione

tionem nihil possint agere, conari, cooperari vel intelligendo, vel in apprehendendo.

2. Quod tota conuersio cum omnibus partibus, quæ ad illam pertinent, in solidum, id est, non partialiter sed totaliter Spiritus sancti efficaciam & operationi sit adscribenda.

3. Quod per media Spiritus sanctus in nobis sit efficax, & quomodo erga illa nos gerere, & ijs uti debeamus.

Quomodo probas primum caput?

Tribus fundamentis confirmatur.

Quod est primum fundamentum?

Primum est, quod omnes vires hominis sunt spoliatae, & carent gloria DEI. Rom. 3. Nam ratio & intellectus destituta sunt noticia vera & facultate intelligendi ea, quæ sunt Spiritus. 1. Cor. 2. Animalis homo ἐκ δυνάται γινώσκει, id est, non potest intelligere. Et Ioh. 1. totum genus humanum vocat tenebras μετω-
υμικῶς. Roman. 3. Non est intelligens. 2. Cor. 3. Non quod idonei simus aliquid cogitare quasi ex nobis. Et ideò dicitur homo mortuus in præputio carnis, & in peccatis extinctus. Coloss. 2.

Eph. 2. 4. 1. Cor. 2. Matth. 13. 1. Cor. 15.
Roman. 7.

Deinde voluntas prorsus omni *πρὸς*
αἰσθήσας orbata est applicandi, expetendi,
annuendi. Nam animalis homo *ἐκ δέξε-*
ραι, non percipit ea quæ sunt Spiritus.
Vox *δέχεται* & mentis & voluntatis as-
sensum exprimit. Et Iohan. 1. dicitur:
Non ex voluntate carnis. Et ideo dicitur
emortua. Col. 2. Ephe. 2. Roman. 7.
1. Cor. 15. Nam mors mentis, volunta-
tis, & cordis, vires omnis vitæ spiritua-
lis expertes exprimit.

Tertio in corde destructa est dulcissi-
ma *ἀφροσύνη* omnium affectuum, & facul-
tas Deum & proximum ardentem dili-
gendi adempta. Rom. 1. Eph. 4. Obtene-
bratum cor & obcæcatum. 1. Cor. 2. *ἐκ*
δέξεται. Eph. 2. Col. 2. mortuum.

Quod est secundum fundamentum?

Quod intellectus, Cor, Voluntas non
modo à DEO sunt auersa, verum etiam
aduersus DEVM ad omne malum con-
uersa, & penitus deprauata. Mens enim
& intellectus adeò tenebris & caligine
inuoluta & cæcitate oppressa sunt, vt na-
turâ rebellent aduersus DEVM, idola &
erro-

errores comminiscantur. Voluntas non solum rectitudine est priuata ad res spirituales expetendas & prosequendas, sed etiam effreni impetu & malitia est referta. Cor incensum est odio & inimicitia aduersus **D E V M** diligendum, & flagrantissimis motibus erga res prohibitas. Non ergò totus duntaxat homo est emortuus ad bonum, sed etiam a deò peruersus, vt naturâ sit malus, & **D E O** rebellis & inimicus. Rom. 8. Sensus carnis est inimicitia aduersus Deum. Gen. 6. 8. Figmentum cordis est malum ab adolescentia. Iere. 17. Cor hominis prauum & inscrutabile. Esa. 1. Psal. 14. 38. 51. Rom. 3. Et huc pertinet Achilleum argumentum ex Paulo ad Gal. 5. Rom. 7. sumtum: Si homo renatus habet in se naturam recalcitrantem subinde Spiritui: Ergò natura nondum renata multò vehementius id facit. Eam ob causam hominis non renati Cor duro lapidi, rudi trunco, & feræ indomitæ comparatur.

Quod est tertium fundamentum?

Sunt preces Sanctorum, quibus petunt, vt à **D E O** doceantur, illuminentur,

C 3 tur,

tur, & in fide stabiliantur. Hisce enim precibus fatentur, quod ea quæ petunt, suis viribus præstare nequeant. Et Dauid in vno duntaxat Psal. 119. decies & amplius orat pro intellectu, vt doctrinam diuinã recte capere & discere queat. Psalm. 141. Ne declines cor meum ad rem malam. Tales precatiunculæ multæ admodum in scriptis Paulinis extant.

Quomodo probas secundum caput?

Totam conuersionem cum omnibus suis partibus solius Spiritus S. esse opus, sacra scriptura probat. Is enim solus dicitur dare nouam lucem menti: nouum velle voluntati, nouam rectitudinem cordi. Is solus accendit fidem, cor mundum creat, cor aperuit Lydiæ: cor auferit lapideum, & indit carneum: dat oculos illuminatos, aures audientes, cor intelligens. Is solus efficit nos idoneos; sine illo nihil possumus, solus trahit. Phil. 2. Ezech. 11. 36. Psa. 51. Act. 16. Deut. 30. Eph. 1. 2. 2. Cor. 6. Matt. 11. Ioh. 6. 15. 1. Cor. 12. 2. Cor. 4. Tit. 3. Matt. 13. Cum hisce testimonijs congruunt Augustana confessio, & scripta Lutheri, quæ in ipsa Concordia allegantur.

Quo-

Quomodo probas tertium caput?

Priora duo capita explicant totam doctrinam de libero arbitrio. Sed quando oratio abrumpitur, nec additur, quomodo Spiritus S. in nobis operari velit: tunc homines Enthusiasticas concipiunt opiniones siue cogitationes, aut labyrinthis dubitationum sese implicant. Epicuræi enim sic somniant: Ego nihil possum, sed Spiritus sancti sunt omnia: pergam igitur in furore contra DEVM, non curabo verbum & Sacramenta, sed expectabo, donec immediatè per arcanas reuelationes seu inspirationes, per violentos impetus & raptus de cœlo mihi infundatur, Pœnitentia, fides, & vera obedientia, & reuera illa in me sentiam. Infirmæ verò & perturbatæ mentes dubitant, an à DEO sint electi, an DEVS in illis efficax esse velit, cum meras imbecillitates, non flagrantem & promptam obedientiã in sese sentiant. In explicatione igitur huius doctrinæ semper addendum est, per quæ media Spiritus S. in nobis efficax sit, & operetur fidem & spiritualia dona.

*Enarra igitur qua sint illa media, per qua
Spiritus sanctus est efficax?*

Verbum vocale & Sacramenta sunt
ordinaria media, per qua Spiritus S.
nos ad æternam salutem vocat, ad se
trahit, conuertit, regenerat, & sanctifi-
cat. Nam D^eo placuit per stultitiã præ-
dicationis saluos facere credentes, &
fides ex auditu est. Tit. 3. Saluos nos fe-
cit per lauacrum regenerationis & reno-
uationis Spiritus sancti. Rom. 1. 2. Cor.
3. 1. Cor. 1. 2. 12. Rom. 10. 6. 2. Cor. 5.
Ioh. 6. 17. Eph. 1. 5. 1. Cor. 15. 1. Tim. 3.
Tit. 3. Gal. 3. Mar. 16. His ergo medijs
vti debemus. Et licet concionatoris
plantatio, & auditoris cursus & volun-
tas frustranea sint, nec conuersio sequa-
tur, nisi Spiritus virtus & operatio acce-
dat; tamen de eius efficacia dubitan-
dum non est, deq; illa non semper ex
fensu, sed ex promissione iudicari & sta-
tui & debet aut potest. At quicunque
instrumenta seu media Spiritus sancti
contemnunt & ijs repugnant, in tene-
bris infidelitatis suæ relinquuntur & per-
eunt. Sine his enim non vult esse effi-
cax

cax, & inde Christus ait: Quoties volui
te congregare, sed noluisti.

*Ast cum hominis voluntas ex sese aliud
non possit, quam Spiritui sancto repugna-
re, sequetur, ipsam violenter
trahi vel cogi?*

Non sequitur inde violenta tractio
vel coactio, quemadmodum licitor ad
carcerem, aut carnifex ad patibulum
lontem cogit. Qui enim Spiritui S. sem-
per resistunt, & veritati agnitæ perseue-
ranter & contumaciter repugnant, Si
conuersionis seu poenitentiae (in qua
immutatio, renouatio, & motus fiunt
per verbum in intellectu, voluntate, &
corde) sunt expertes. Sed Deus efficaci
operatione ita trahit hominem, quem
conuerrere decreuit, vt ex intellectu cæ-
cato illuminatus fiat intellectus, & ex
rebelli voluntate fiat prompta & obedi-
ens voluntas. Et hoc scriptura vocat no-
uum cor creare. Manet tamen lucta car-
nis & Spiritus. Non enim fit absoluta
regeneratio in hac vita, sed scinditur ho-
mo in duos homines Veterem & No-
uum, iuxta illum repugnat, iuxta hunc

C s ex no-

ex nouis viribus iam cooperatur sponte & vult bonum.

Ex hac doctrina iudicari potest de quæstionibus subinde agitatis:

1. An homo ante, in, & post conuersionem Spiritus S. repugnet, vel pure passiuè se habeat?

2. An homo conuertatur vt truncus?

3. An Spiritus S. detur repugnantibus?

4. An conuersio hominis fiat per modum coactionis?

Antithesis.

Quæ sunt in Antithesi obseruanda?

Duæ classes contrariorum dogmatum hîc sunt constituendæ; siquidem in vtramque partem à veritatis tramite est declinatum.

1. Prioris classis dogmata sunt Stoicorum, Manichæorum, Enthusiastarum, & Suuenckfeldianorum, qui licet differant opinionum portentis, tamen magna inter eos est affinitas.

Alterius classis sunt dogmata Pelagianorum seu Synergistarum.

Quæ

Quæ sunt dogmata Stoicorum, Manichæorum & Enthusiatarum?

1. Stoici & Manichæi docuerunt omnia fieri necessario, & aliter fieri non posse. Et hominem coactum omnia facere, etiam ea, quæ in rebus externis agat, eumq; ad designanda scelera vehementer cogi.

2. Enthusiastæ & Suuenckfeldiani somniant: DEVM sine medijs seu immediate, sine auditione verbi & usu Sacramentorum, in homine operari per violentos raptus, sine omni mutatione & motu in intellectu, voluntate, & corde.

3. Quòd DEVS nouum hominem ita creet, vt ex veteris Adami substantia (præsertim vero anima rationalis) penitus aboleatur, & noua animæ essentia ex nihilo creetur.

4. Quod citra declarationem quidam protulerunt, quod videlicet homo vel ante, in, & post conuersionem Spiritui sancto repugnet, & quod Spiritus sanctus detur ipsis repugnantibus.

Cur damnas illa dogmata?

1. Quia DEVM ipsum sua libertate spoliant, eumque scelerum autorem & causam

causam constituunt, & in ciuilibus rebus omnem humanæ voluntatis libertatem tollunt.

2. Ministerium Euangelicum & eius efficaciam eleuant.

3. Opus regenerationis, quæ est qualitatum, non substantiæ creatio, enervant.

4. Conuersionem, quæ requirit assensum & nouos motus, infringunt hæ propositiones de repugnantia, ita nudè & generaliter & ambigüè positæ. Vbi enim totus homo repugnat verbo **D E I**, ibi nulla est conuersio, in qua mutationem & renouationem & motus fieri oportet in intellectu, voluntate, & corde hominis, vt oblatam gratiam apprehendere possit. Etsi autem in renatis manet rebellio: tamen seruiunt legi **D E I**, carne autem legi peccati. Ergo consultissimum est illas propositiones, non nisi additis pijs declarationibus, vsurpare.

Quæ sunt dogmata Pelagianorum & Synergistarum?

1. Pelagiani contendunt, quod liberum arbitrium ex naturalibus viribus
sine

sine
tere
plen
spon
vita

2.
pista
ribu
fit,
grat

3.
nem
esse
truu
arbi
initi

V M
obe
nem
natu
aliqu
ad c
adiu

4.
post
etè in

bus
tem
eius
ua-
er-
en-
ro-
&
im
ibi
em
or-
o-
de
re-
ne
um
tis
e-
us
ne

sine Spiritu S. ex sese ad DEVM conuertere, Euangelio credere, legem DEI implere, atq; hac sua obedientia libera, & spontanea remissionem peccatorum & vitam æternam promereri possit.

2. Semipelagiani vt Scholastici & Papistæ docent, quod homo proprijs viribus suam cōuersionem inchoare possit, sed absoluere eam sine Spiritus S. gratia nequeat.

3. Synergistæ dogmatizarunt, hominem in rebus spiritualibus non prorsus esse ad bonum emortuum. Et inde extruunt hanc opinionem, quod liberum arbitrium, licet infirmius sit, quàm vt initium faciat, proprijs viribus ad DEVM se conuertat, legi DEI toto corde obediat: tamen Spiritu S. conuersionem inchoante, post primum motum naturalibus viribus DEO occurrat, & aliquo modo (etsi parum & languide) ad conuersionem suam conferat, eam adiuuet & cooperetur.

4. Pontificij & Monachi: Hominem post regenerationem legem DEI perfecte in hac vita implere posse, eamq; impletio-

pletionem esse nostram coram DEO ius-
titiam, contendere.

Cur damnas hac dogmata?

Quia corrumpunt principales fidei articulos:

1. Primò enim articulum de peccato
originis sepeliunt.
2. Deinde doctrinam de Iustificatio-
ne inuoluunt.
3. Tertio opus regenerationis Spiri-
tus S. elidunt.

*Explicato toto articulo, appendicis loco de-
clara mihi quasdam sententias patrum: Si-
militudines, & questionem de tribus
causis in conuersione concur-
rentibus.*

*Quid sentis de dictis patrum & Neoteri-
corum: trahit Deus, sed volentem trahit.
Tantum velis, & Deus præoccurrit. Nè.
Hominis voluntas in conuersione non est
ociosa ut truncus, sed agit aliquid, &c.*

Illà dicta Chrysofomi, & Basilij, &
Pontificiorum contextu in ipsis non
perpenso commodè accipiuntur de li-
bero arbitrio renato, Post conuersionem
nem

ius
los:
ato
tio-
iri-
de-
Si-
s
eri-
bit.
ne.
est
c.
&
on
li-
o-
m

nem enim velle diuinitus instillato, DE-
vs volentem trahit, & voluntas iam re-
nata in exercitijs pœnitentiæ non est o-
ciosa, sed Spiritui S. cooperatur. Ast in-
spectis autoribus non sunt analoga. Af-
feruntur enim ad confirmandam de sy-
nergia opinionem. Ergo cum de libero
arbitrio corrupto & de conuersione a-
gitur sunt vitanda. Deus enim ex vo-
lentibus & rebellibus volentes facit &
promptos.

*Quid sentis de similitudinibus, quod homo
merè passiuè, vt truncus, lutum, statua,
& lapis se habeat?*

Dexteritas in iudicando est adhiben-
da, & ad intentionem comparationum
est respiciendum. Nam secundum quid
valent, non per omnia, scilicet, cum de
libero arbitrio corrupto in rebus Spi-
ritualibus seu de conuersione agitur.
Sic enim homo se merè passiuè habet
re, & luti, trunci, statuæq; vitâ caren-
tis, instar esse dicitur, respectu gratiæ
in accendendis nouis motibus.
Conuersione enim nō tantum ex parte,
sed totaliter operatur Spiritus sanctus in
intel-

intellectu, voluntate, & corde hominis,
tanquam in subiecto patiente, non coo-
perante. Non tamen eo modo fit, quasi
cum statua e lapide formatur, aut sigil-
lum in ceram imprimitur: Quæ cera ne-
que sensum neque voluntatem habet,
sed omnino fit immutatio in homine &
renouatio. Nam tenebræ mentis pellun-
tur, & in ea noua lux accenditur, volun-
tas conuertitur ad **DEVM**, cordi inspi-
ratur dilectio. Verum hi motus non ab
homine sed à Spiritu S. proficiscuntur.

*Ediffere igitur quando non valeant
hæ similitudines?*

Ratione recusationis & rebellionis
rectè dicitur, hominem non esse lapi-
dem, truncum, statuam, aut lutum, &c.
Hac enim in parte multò est deterior
trunco, quia reluctatur verbo, donec il-
luminetur. Truncus autem non reluctat-
tur ei, à quo mouetur. Sunt tamen & a-
liæ notæ & proprietates, quibus homo
à trunco discernitur. Nam homo viuit,
truncus non. Homo est rationalis, trun-
cus non. Homo habet corporis mem-
bra, truncus non. Hominem **DEVS** re-
generat, truncum non. Summa esto:
Ergò

Ergò istis metaphoricis phrasibus ho-
mo in statuam, truncum, aut lapidem
non formatur, & ratione non exuitur:
nec auscultatio verbi diuini explodi-
tur: aut libertas humanæ voluntatis in
externis actionibus tollitur: nec deniq;
capacitas passiuæ homini eripitur, sed o-
mnis actio spiritualis & capacitas acti-
ua illi adimitur.

*Quid sentis deniq; de tribus causis effi-
cientibus in conuersione con-
currentibus?*

Verum est, quod in conuersione con-
current, Verbum, Spiritus S. & volūtas,
sed nō sunt æquæ ac pariter causæ effi-
cientes. Vnica enim tantum est causa effi-
ciens, scilicet Spiritus S. corda con-
uertens. Verbum est causa instrumen-
talis, quo Spiritus S. conuersionem effi-
cit. Voluntas verò seu potius totus ho-
mo est subiectum conuertendum, quod
nihil confert, sed patitur, vt Spiri-
tus sanctus in ipso ope-
retur.

D

III. LO-

III. LOCVS.

DE IUSTITIA FIDEI CO- ram Deo.

Status.

Quis est Status controuersia?

Controuertitur hîc: secundum quam naturam Christus sit nostra iustitia. An iuxta diuinitatem tantum: an verò duntaxat iuxta humanam: vel an sit secundum vtramq;

Thesis.

Quae sunt in Thesi obseruanda?

Quatuor praecipue.

1. Materia & Forma iustitiæ, seu quæ res & qualis sit nostra iustitia.
2. Quibus medijs iustitia dispensetur & accipiatur.
3. Vnus vocabulorum iustificationis, regenerationis, & viuificationis.
4. Particulæ exclusiuae.

*Qua & qualis res est nostra
Iustitiæ?*

Christi iustitia duplex est: Vna est naturarum diuinæ & humanæ. Diuina enim habet ab æterno iustitiam essentialem,

tialem, sed ea est incommunicabilis creaturæ. Aliàs creaturæ fierent essentialiter DEVS, sic etiam natura humana habet naturalem iustitiam, quia absq; peccato, Verum neq; ea est communicabilis creaturæ, nam ipsæ naturæ confundi non possunt. Alia verò est iustitia Christi, acquisita in officio omnimoda legis impletione. Hæc est communicabilis.

Rectè ergo statuimus Christum esse nostram Iustitiam, non secundum diuinam naturam tantum, neq; etiam secundum humanam naturam tantum, sed iuxta vtramq; quippe, quia nos, vt DEVS & homo à peccatis tota humiliatione & obedientia, quæ est integra legis impletio, liberauit, iustificauit, & saluos fecit. Inde constituta est definitio.

Iustitia fidei est remissio peccatorum, reconciliatio cum DEO, & adoptio in filios DEI, propter solam passionem & obedientiam Christi, quæ ex gratia per solam fidem sine vllò respectu præcedentium, præsentium, aut consequentium operum nobis imputatur.

D 2

Que

*Quæ sunt media seu instrumenta, quibus
iustitia illa affertur & appre-
henditur?*

Duplex est medium, quoad nos, &
quoad DEVM.

Quod est medium quoad nos?

Fides est vnicum medium, quo re-
missionem peccatorum apprehendimus.
Eaque fides non est nuda noticia historiae
de Christo, sed est tale donum DEI, quo
Christo redemptori nostro, in verbo E-
uangelij rectè agnito, confidimus, quod
videlicet tantum propter illius meritum
ex gratia remissionem peccatorum ha-
beamus, iusti reputemur, & vitam æter-
nam consequamur. Ergo æquipollentes
sunt propositiones hæ, nec inter se dis-
sentiunt, sed planè idem volunt, licet di-
uersæ causæ monstrentur, quæ tamen o-
mnes ad articulum iustificationis perti-
nent:

Fide iustificamur.

Fides nobis imputatur ad iustitiam.

Obedientia Christi iustificamur, &c.

Fides enim iustificat non sui dignitate
& præstantia, sed nomine obiecti, id est,
mife-

misericordiæ, & meriti Christi in promissione Euangelij nobis oblatis.

Quod est medium quoad Deum?

Verbum seu Euangelium & Sacramenta sunt ordinaria media, per quæ nobis iustitia à Spiritu S. offertur & communicatur. Rom. 1. Euangelium est potentia DEI ad salutem omni credenti. Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. 2. Cor. 3. Ephe. 5. Gala. 3. Rom. 6. 1. Cor. 12. Mar. 16. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Pet. 3.

*Quæ est significatio vocabuli Iustificatio-
nis in hoc articulo?*

Phrasi sacræ scripturæ hæc vox idem significat, quod abtoluere à peccatis & æternis supplicijs, & iustitiam attribuerre seu iustum pronunciare. Prouerb. 17. Ex æquo abominatur Dominus tam eum, qui infontem damnat, quam eum qui impium iustificat. Rom. 8. Quis accusabit electos DEI? Deus est qui iustificat, quis condemnabit? &c.

Quis est usus regenerationis?

Tripliciter usurpatur precipuè.

I. Aliàs pro remissione peccatorum

D 3

& sub-

& subsequenti renouatione accipitur.
Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit, &c.

2. Pro sola iustificatione seu remissione peccatorum usurpatur. Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis. Hinc Apologia dicit: Iustificatio est regeneratio. Cum enim homo per fidem iustificatur, id ipsum reuera est quædam regeneratio, quia ex filio iræ fit filius DEI.

3. Sæpè tantum pro sanctificatione & renouatione, quæ est effectus iustificationis, & ideo rectè ab ea discernitur. Item pro integra instauratione seu glorificatione, Matth. 19.

Quis est usus Viuificationis?

Illæ vox quadrupliciter usurpatur:

1. Aliàs totum beneficium Christi, scilicet, iustificationem & sanctificationem complectitur. Gal. 3. Quæ posset viuificare. Rom. 1. Heb. 2.

2. Pro posteriore conuersionis parte, seu remissione peccatorum usurpatur. Cum enim homo iustificatur, reuera è morte in vitam transfertur.

3. Pro renouatione & resuscitatione ex mortuis tantum accipitur. 1. Cor. 15.

In

In Christo omnes viuificabuntur, id est,
resuscitabuntur.

Hæc obseruanda sunt contra Pseudo-
lutheranos, qui cum dicunt, quod iusti-
ficatio sit regeneratio & viuificatio, am-
biguè loquuntur, & complectuntur re-
nouationem. Sed in Apologia tantum
in altera significatione vsurpantur, ideo-
que non significant ibi effectum.

Quæ sunt particula exclusiua?

Exclusiua dicuntur istæ sacræ scriptu-
ræ locutiones. Gratis. Esa. 52. Rom. 3.
Apoc. 21. 22. Gratia. Ioh. 1. Rom. 4. 5.
11. Eph. 2. Tit. 3. sine lege. Rom. 3. Sine
operibus legis Rom. 3. Gal. 3. Tit. 3. Non
operanti. Rom. 4. εὐ μὴ, nisi vel dunta-
xat per fidem. Gal. 2. Sola fide, quæ lo-
cutio præcedentibus æquipollet. Et Lu-
cæ 8. μόνον πίστευε ponitur.

Hæ particulae tantum habent locum
in articulo iustificationis.

Ergo ad articulum de bonis operi-
bus, & aliò non sunt transferendæ.

Quidnam excludunt hæ particulae?

Non excludunt DEI misericordiam,

D 4 quæ

quæ est impulsiva: nec meritum Christi,
quæ est meritoria: non fidem, nec ver-
bum seu Euangelium, & Sacramenta,
quæ sunt organa: sed omnia nostra ope-
ra, non tantum meritum, dignitatem,
precium, & efficaciam, gloriationem &
fiduciam: sed etiam necessitatem præ-
sentia operum ab articulo iustificatio-
nis remouent. Rom. 4. Ἰὼ μὴ ἐργαζομένῳ
Ἰὼ ἀσεβῆι, id est, non operanti, sed impio
imputatur fides ad iustitiam. Non dicit:
non merenti seu tantum operanti, sed
non operanti, & Rom. 11. Si verò gratia,
iam non ex operibus, &c.

*At conuersio ita fit, ut præcedat aliqua co-
gnitio peccatorum, & propositum corrigèn-
di vitam, & renati habent bona opera,
licet qui primum conuertuntur,
nulla prorsus ha-
beant?*

Ea quæ fidem præcedunt, & quæ
eam sequuntur, articulo iustificationis
non sunt inferenda, non enim vnum &
idem est de conuersione & iustificatio-
ne hominis agere. Nam non omnia quæ
ad veram conuersionem requiruntur,
etiam

etiam ad iustificationē pertinent. Iustifi-
cationis enim requisita tria tantum sunt:

1. Gratia Dei offerens.
2. Obedientia promerens.
3. Fides apprehendens.

Contritio verò præcedit fidem. Hinc
illam nec in contritione carentibus, &
propositum in peccatis pergendi & per-
seuerandi habentibus, sed in seriò pœ-
nitentiam agentibus esse perspicitur:
Ast iustificationi immiscenda non est.
Deinde renouatio seu sanctificatio &
bona opera sunt fructus iustificationis.
Concluditur ergò, neq; contritionem,
neq; subsequētia opera ad articulum
iustificationis pertinere. Fides enim so-
la est medium applicatiuum, non con-
tritio non renouatio, nec opera. Hinc
rectè dicitur: Bona opera non præcedūt
iustificandum, sed sequuntur iustifica-
tum. Et oportet personam primū iu-
stam esse, antequam bona opera facere
queat. Vnde Abraham, non tantum
primò ab idolatria conuersus, cum nul-
la haberet opera, sed etiam renouatus
& præclaris operibus ornatus, dicitur
ἀσπετής, & μὴ ἐργαζόμενος in hoc articulo.

D s Immo-

Immota igitur manet regula Lutheri;
Hoc in loco omnes leges, & omnia legis opera sunt reiicienda. Alias verò seu suo tempore & loco dicendum est de ijs, scilicet extra hunc articulum.

Propter quas causas particularum exclusivarum vis & sententia in Ecclesia est urgenda?

Hæ sunt causæ.

1. Ut per illas particulas omnia opera, merita, dignitas, fiducia, & gloria operum penitus excludantur.
2. Ut proprietates fidei solius maneat, quod sola sit applicationis medium & instrumentum.
3. Ut fidei iustitia tantummodo in remissione peccatorum ex mera gratia, propter solum Christi meritum consistat, non in renouatione nec sanctificatione, &c.

At exclusis omnibus operibus, fidem & opera separas & interualla comminisceris?

Ordo est conseruandus inter contritionem & fidem, inter iustificationem & renouationem, inter fidem & bona opera, ne quod posterius est priori loco ponatur.

nat
liur
des
fun
dur
1.
2.
3.
sti,
4.
lan
fan
5.
qu
F
feru
ra f
pos
cau
& c
enir
con
liter
qu

natur. Quantum enim Lex & Euange-
lium differunt, tantum Contritio & Fi-
des: dum sanctificatio & bona opera
sunt fructus iustificationis, non præce-
dunt iustificationem.

1. Fit contritio in conuersione.

2. Fides accenditur.

3. Fide apprehendente meritū Chri-
sti, fit iustificatio.

4. Persona iustificata, renouatio &
sanctificatio inchoatur per Spiritum
sanctum.

5. Ex renouatione bona opera se-
quuntur.

Hoc tamen ordine à confusione præ-
seruando non talis fit diuulsio, quasi ve-
ra fides aliquando & aliquandiu stare
possit cum malo proposito: sed ordine
causarum & effectuum, antecedentium
& consequentium fit distributio. Manet
enim quod Lutherus recte dicit. Bene
conueniunt & sunt connexa inseparabi-
liter fides & opera. Sed sola fides est,
quæ apprehendit benedictionem sine
operibus, & tamen nunquam
est sola.

Ultimo

*Ultimo loco edoce me queso, quomodo vi-
ua & vera; Item. Simulata & mortua fides
agnosci & discerni possint?*

Duplices hic sunt questiones obseruanda.

Alia est, quomodo fides ficta seu mor-
tua, & vera seu viua discernatur. Alia,
qua ratione, qua virtute, quo respectu,
quomodo, cur, & vnde fides iustificet,
viua sit, seu viuificet.

Primo si fides per charitatem efficax
est, & parit bona opera, ostendit effectus
ipsam esse viuam. Sin verò non gignit
bona opera, sed mala, effectus ostendit
ipsam fictam seu mortuam esse. Et sic
Iacobus vocat mortuam, quam bona o-
pera non sequuntur, & rectè negat, nos
tali fide iustificari, quæ sit sine operibus,
id est, mortua fide. Agit enim de osten-
sione fidei, seu de operibus iustificato-
rum.

*In altera vero propositione non rectè hæ
propositiones asseruntur.*

1. Fides non potest sine operibus iu-
stificare.

2. Fides quatenus charitatem, qua
formetur, coniunctam habet, iustificat.

3. Fi-

3. Fides vt iustificet, necessaria est præ-
sentia bonorum operum.

4. Bona opera sunt causa sine qua nõ:
quæ per exclusiuas non excluduntur.

Non enim ideò fides iustificat, quod
tam excellens virtus sit & bona opera
pariat, seu charitatem coniunctam ha-
beat: sed ideo & inde, quod vt medium
gratiam DEI & meritum Christi appre-
hendat.

Antithesis.

*Quenam damnantur dogmata in
hoc articulo?*

Errores Pontificiorum, Dicecusista-
rum, & omnium operistarum sunt da-
mnandi, quales hi sunt.

1. Quod bona opera sint merita &
causa iustificationis, aut ex toto, aut ex
parte.

2. Quod homo suis operibus se præ-
parare debeat, vt dignus fiat applicati-
one, communicatione beneficiorum
Christi.

3. Formalem iustitiam nostram co-
ram DEO esse inhærentes qualitates,
nouitates, seu habitus iustitiæ in nobis.

4. Iusti-

4. Iustitiam fidei constare duabus partibus, remissione & renouatione, seu sanctificatione & inchoatione. Vel iustos nos esse simul & imputatione & inchoatione. Vel partim imputatione, partim inchoatione nouæ obedientiæ.
5. Fidem iustificare tantum initialiter; vel partialiter, vel principaliter: Bona opera verò completiue, vel minus principaliter.
6. Applicationem beneficiorum Christi fieri fide & confessione.
7. Nos alio modo iustificari, scilicet sola fide, alio saluari scilicet fide, & operibus simul.
8. Christum esse iustitiam nostram solummodo iuxta humanam naturam.
9. Christum esse iustitiam nostram duntaxat secundum naturam diuinam.
10. Vocem iustificare, significare nouas infundere qualitates, non absoluerè à peccatis, & remissionem peccatorum consequi.
11. Fidem non respicere in solam Christi obedientiam, sed in diuinam eius naturam, quatenus scilicet ea in nobis habitet & operetur; & per hanc
inha-

inhabitationem iustitiæ diuinæ essenti-
alis, peccata nostra coram D^Eo regi.

12. Fidem esse talem fiduciam in ob-
edientiam Christi, quæ possit etiam in
eo homine consistere, qui vera poeni-
tentia careat, & charitatem non habeat,
sed contra conscientiam in peccatis de-
signandis perseueret.

13. Quod non D^EVS ipse, sed tan-
tum dona D^EI in credentibus habi-
tent.

Cur damnas hæc dogmata?

1. Quia Christo suum honorem eri-
piunt, & eum tribuunt operibus & no-
uis motibus hominum.

2. Infringunt necessariam consolati-
onem conscientiæ. Quoties enim respi-
cit ad renouationem & nouos motus &
opera sua, mox turbatur & timet iram
D^EI, siquidem imperfecta opera inue-
nit, quæ procul absunt à legis perfe-
ctione.

3. Delent discrimen Legis &
Euangelij.

IV. LO.

IV. LOCVS

DE BONIS OPERIBVS.

Status.

Quis est Status controuersia?

Duplex est Status in hoc articulo.

1. An bona opera sint necessaria ad salutem : an verò ad salutem perniciofa.
2. Deinde an bona opera sint libera: an verò necessaria.

Thesis.

Quæ sunt in Thesi obseruanda?

Duo.

1. Ad declarationem maiorem statuum præfigenda sunt illa, de quibus nulla est dissensio.
2. Deinde æquiuationes vocabulorum Necessitatis & libertatis sunt euoluendæ.

De quibus nulla est in hoc articulo dissensio?

In doctrina de bonis operibus extra controuersiam sunt in nostris Ecclesijs hæ propositiones;

1. Quod

1.
xta
2.
illa
cun
lege
3.
ex
per
& p
sto
tis.
4.
cet
tate
stum
ra i
nan
fis
mu
bus
ta

1. Quod sint facienda bona opera iuxta mandatum diuinum.

2. Quæ sint verè bona opera, scilicet illa quæ non propria intentione aut secundum traditiones humanas, sed iuxta legem Dei suscipiuntur.

3. Quomodo fieri possint, scilicet nõ ex viribus proprijs naturalibus, sed à personis per fidem à DEO reconciliatis, & per Spiritum S. renouatis, & in Christo de nouo quasi ad bona opera creatis.

4. Quomodo DEO placeant, videlicet non ex sese vel merito suo, vel dignitate vel perfectione, sed propter Christum per fidem. 1. Pet. 2. Etsi enim opera illa quæ ad conseruandam disciplinam externam faciunt, (quæ à conuersis fiunt & requiruntur) suam coram mundo laudem habent, & temporalibus præmijs in hoc mundo ornantur: tamen quia ex vera fide non proficiuntur, reuera coram DEO sunt peccata Matt. 7. 12, Rom.

12. Ebr. 11.

E

Expli-

*Explica mihi quaeso, quae sint equiuoca-
tiones seu significationes vocabu-
lorum Necessitatis & Li-
bertatis.*

Cum de necessitate & libertate bo-
norum operum agitur, hoc discrimen
obseruetur: Quod alia necessitas sit man-
dati ac debiti, ordinis, voluntatis diui-
nae: Alia verò coactionis, quæ fit inuita
reluctanteq; voluntate. Hæc necessitas
pugnat cum libertate & voluntario. I.
Pet. 5. Pascite gregem non coactè, sed
Spontaneè. Et ad Philemonem: Vt bo-
num tuum non sit secundum necessita-
tem sed voluntarium. 2. Cor. 9. Non ex
tristitia aut necessitate. Illa verò non est
contraria libertati & voluntario, nam
DEVS est immutabili necessitate iustus,
idq; liberrima simul voluntate. Satanas
summa sua voluntate est malus, & tas-
men nihilominus immutabili necessita-
te. Vtrumque ergo rectè asseritur, &
bona opera esse necessaria: Et bona
opera libertate Spiritus esse
præstanda Psalm.

I IO.

Sed

*Sed quomodo bona opera sunt necessaria,
& quomodo sunt spontanea & quare?*

Prior phrasis non animi inuiti coactionem, sed ordinem immutabilem, mandati seueritatem & debitum significat. Et retinenda est ad redarguendam securitatis Epicureæ opinionem, qua multi fidem, quæ sine pœnitentia & bonis operibus est, pro vera fide habent: quasi scilicet in vno eodemq; corde simul stare possint vera fides, & malum propositum in peccatis perseverandi.

Posterior phrasis causam indicat efficientem, nimirum à Spiritu spontaneo veram obedientiam in sanctis accendi. Non enim **D E V S** hypocritica opera, quæ homini præter voluntatem eius coactione extorquentur, vt externè & quidem in speciem, sed tamen contra suam voluntatem aliquid faciat, probat 2. Corinth. 9. Philip. 1. 1. Petr. 5. Sed vult vt populus Noui Testamenti sit spontaneus, & spontanea sacrificia offerat: atque obedientiam non inuitus aut coactus, sed ex animo prompto & spontaneo præstet. Psalm. 110. 2. Corinth. 9. Rom. 6. Hilarem enim datorem

E 2

diligit

diligit Dominus. Hac re perpensa, patescit, opera Christianorum non esse ita libera, ut in eius libero arbitrio positum sit, ea vel facere vel omittere. Obedientia enim eius & spontanea & necessaria esse debet, quemadmodum libertas Christiana verè est & dicitur libertas, & tamen est necessaria.

Quod si homo renatus liberè & sponte operatur bonum, sequetur ipsum perfectè esse renouatum & liberatum?

Discrimen obseruandum est inter veterem & nouum hominem. Hic spontè bonum operatur, & veram obedientiã conformem legi & motus spirituales præstat. Vetus verò homo non modo coactus & maximè inuitus aliquid boni agit: verum etiam obluëtatur nouo & eius actionibus. Quod igitur ad illum non modo ad benè operandum difficilem, sed etiam rebellem hominem attingit, ea de re Paulus sic ait: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. I. Cor. 9. Et qui sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentijs.

Anti-

Antithesis.

Quae sunt in antithesi observanda?

Tria propositionum genera.

1. Bona opera esse necessaria ad salutem.
2. Nemo vnquam sine operibus est saluatus.
3. Impossibile est hominem sine operibus saluari.

Deformes interpretationes.

1. Bona opera praecedere, concurrere, & sequi iustificationem.
2. Bona opera esse causam sine qua non iustificationis & salutis.
3. Bona opera conseruare salutem & ad conseruandam fidem, iustitiam & salutem esse necessaria.
4. Bona opera esse necessaria ad salutem, tanquam fructus fidei.
5. Bona opera esse perniciofa ad salutem.
6. Fidem in Christum non amitti, nec Spiritum S. excuti peccatis electorum etiam conscientiam vastantibus.

Cur damnas priores quatuor propositiones?

Non reijcimus bona opera, non im-

pugnamus necessitatem bonorum operum, imo quare & quibus de causis bona opera sint necessaria explicamus, Augustana confessione eiusq; Apologia testibus. Ne verò illis causis perpen- sis in articulum iustificationis vel saluationis immisceantur vel intrudantur bona opera, damnamus has propositiones, qua intrusione?

1. Particulis exclusiuis vis infertur.
2. Meritum Christi obscuratur.
3. Laquei conscientijs afflictis nectuntur consolatione Euangelij erepta.
4. Papistica opinio de propria iustitia confirmatur.
5. Augustana confessio cum Lutheri scriptis eneruatur.
6. Ordo naturæ, quo effectus non sunt ad causam necessarij, sed contra causa ad effectum constituendum, necessaria prohibetur, impugnatur.
7. Sacræ scripturæ, quæ soli fidei officium, iustitiam & salutem apprehendendi & retinendi, id est, initium, medium, & finem non operibus, nec ex toto, nec ex parte assignat, contradicunt.

Cur

Cur damnas quintam propositionem?

Per se seu generaliter, absolute, simpliciter, & ita nude posita propositio, improbatur. Cum enim bona opera propter veras causas fiunt, & ad veros fines referuntur, sunt indicia salutis, fructus Spiritus, iustitiæ, fidei, & bonæ arboris, DEO placent & præmijs diuinis ornantur. Phil. 1. Rom. 5. Gal. 5. 1. Tim. 4. Psal. 5 1. 1. Pet. 2. Rom. 14. Matt. 7. 12. Si igitur sunt bona, certè non sunt noxia, si verò essent noxia, non essent bona, multò minus Spiritus sancti, iustitiæ, & fidei fructus. Per accidens vero, id est, quando operibus additur opinio iustitiæ, fiducia seu meriti, vel quando opera assumuntur & admiscuntur articulo iustificationis, verissima est propositio. Hanc enim Phil. 3. ter repetit, vbi de operibus præcedentibus, concomitantibus & sequentibus loquitur. Et Lutherus Paulum imitatur.

Cur ultimam propositionem damnas?

Quia repugnat sacrae scripturae, quæ docet, quod nostra obedientia & spontanea & necessaria esse debeat, & peccatis gratiam DEI effundi, fidem &

iustitiam amitti, asserit. Hinc Petrus 2.
Pet. 1. docet nos, vt faciamus bona o-
pera, vt firma sit vocatio, id est, ne voca-
tione excidamus, si iterum peccemus.
2. Cor. 6. Galat. 5. Ephes. 5. Roman. 11.
Eccle. 3.

V. LOCVS.

DE LEGE ET EVANGELIO.

Status.

Quis est Status controuersia?

An Euangelium sit tantummodo cōs-
cio de gratia DEI, an verò etiam sit con-
cio poenitentiae, arguens peccatum in-
credulitatis.

Thesis.

Quae sunt in Thesi obseruanda?

1. Discrimen Legis & Euangelij.
2. Significatio vocabulorum Euange-
lij & poenitentiae.
3. Tria principia in enucleatione hu-
ius controuersiae maxime necessaria.

Quod est proprium legis officium?

Officium legis est reuelare omnia
peccata, & docere de bonis operibus.

Rom. 3.

Rom. 3, Per legem agnitio peccati & 4,
Lex iram operatur. & 7, Mente serui-
legi DEBI.

Quod est proprium Euangelij officium?

Propriissimum Euangelij officium est
tantum prædicare de Christo & eius be-
nificijs, quæ per fidem consequimur.
Rom. 1. Euangelium est potentia, &c.
Item. Matth. 11. Venite ad me omnes.

Iam explica mihi, quomodo illa reuelatio peccati fiat.

Illa reuelatio sic se habet. Velū Moy-
sis omnium oculis hominum est obdu-
ctum, quam diu solam & nudam legis
prædicationem (sine mentione Christi)
audiunt. Itaque sua ex lege non verè a-
gnoscent, sed aut hypocritæ fiunt, aut
in peccatis suis desperant. Eam ob cau-
sam Christus legem explicat spirituali-
ter. Matth. 5. Et sic iram suam reuelat de
coelo super omnem hominum impieta-
tem. Sic ergo peccatores ad legem ab-
legati verè & rectè demum peccata sua
agnoscent, quam agnitionem Moyses
nunquam extorsisset. Nam etiam Moy-
se præfecto manet velamen, conuersio-
ne autem ad Christum facta tollitur. 2.

ES Cor. 3.

Cor. 3. Etsi igitur concio de passione & morte Christi terroris plena est, & iram DEI contra peccata ostendit: vnde demum homines ad legem DEI quasi propius adducuntur, velo Moysis ablato: tamen quoad & quamdiu DEI iram ostendit, nondum & tam diu reuera non est propria Euangelij (quod non perterrefacit) sed legis doctrina. Et est quasi alienum opus Christi, à quo accedit ad proprium suū officium, quod est consolari, & quod propriè cōpetit Euangelio.

*Quæ sunt significationes Vocabuli
Euangelij?*

Duobus modis usurpatur vox Euangelij.

1. Generaliter totam doctrinam Christi significat, quæ complectitur legem & Euangelium. Mar. 1. Initium Euangelij Iesu Christi. Et 16. Christus iubet prædicare Euangelium omni creaturæ, idq; Lucas 24. explicat, docens: In nomine eius prædicandam esse poenitentiam & remissionem peccatorum. Et Paulus Rom. 1. Vocat suam doctrinam Euangelium, & tamen distribuit in poenitentiam & fidem. Actor. 20. Fit autem denominatio à potiori capite quadam Metonymia.

nymia. Et sic vera est generalis definitio:
Euangelium est concio pœnitentiæ &
remissionis peccatorum. Saluæ enim
retinentur proprietates vtriusque do-
ctrinæ.

2. Propriè & in specie vsurpatur pro
doctrina gratuita de remissione pecca-
torum. Mar. 1. Pœnitentiam agite & cre-
dite Euangelio. Luc. 2. Euangelizo vobis
gaudium magnum. Rom. 1. Matth. 11.
Esa. 61. Luc. 24. Act. 20.

*Quæ sunt significationes Vocabuli
pœnitentiæ?*

1. Generaliter vsurpatur pro tota con-
uersione ad DEVM, Luc. 13. Nisi pœni-
tentiam egeritis, simul omnes, &c. Et 15.
Gaudium est angelis super vno pecca-
tore pœnitentiam agente.

2. In specie pro contritione tantum,
vt in Marco 1. Luc. 24. Act. 20. Ibi enim
distinctè ponuntur pœnitentia & fides
seu remissio peccatorum.

*Quæ sunt principia illa in hoc articulo
necessaria?*

De disputationibus, quæ hic mouen-
tur, iudicium rectè formabitur ex his
tribus principijs.

1. In

1. In concione poenitentiae lex non est sola proponenda. Nam qui hoc faciunt, Pharisaismum seu desperationem docent. Nec solum Euangelium est praedicandum, alioquin Epicureismus inuheretur. Non itaque per diuulsionem alterum sine altero, sed utrumque doctrinae genus simul tradendum est, certo tamen ordine & conuenienti discrimine obseruato.

2. Ex connexionione seu coniunctione non sequitur confusio, sed saluum manet discrimen Legis & Euangelij. Ergo licet distincta sint Lex & Euangelium, quasi lex cum Euangelio & Euangelium cum lege nihil negotij habeat: non tamen prorsus diuellenda sunt: & vicissim licet suo modo, loco & ordine coniuncta sint, non tamen confundenda sunt.

3. Legis doctrina per Euangelium illustratur & declaratur, nihilominus tamen est & manet legis proprium officium, peccata arguere, & de bonis operibus docere, ut ex praecedenti principio liquet.

Hac ratione lex incredulitate arguit, quando scilicet verbo **DAI** fides non adhi-

betur. Cum autem Euangelium in Christi-
stam fidem præcipiens, sit verbum DEI:
Spiritus S. per legem etiam incredulita-
tem in Christum arguit.

Vnde retinenda sunt hæc regula:

Quicquid ostendit peccatum, iram
seu mortem, id exercet officium legis,
siue fiat in nouo, siue in veteri Testa-
mento.

Et.

Quicquid docet de persona, de me-
ritis, de beneficijs Christi, de gratuita
DEI misericordia, & peccatorum re-
missione, & de fide in Christum, illud
est Euangelium, vbicunq; & quomodo-
cunq; in scriptura tradatur.

Antithesis.

*Quæ sunt dogmata hoc in loco
damnanda?*

Damno hanc opinionem cum asseri-
tur: Quod Euangelium propriè sit con-
cilio pœnitentiæ, arguens, accusans, &
damnans peccata, & non tantummodo
concilio de gratia DEI.

Cur damnas?

1. Quia Euangelium in legem trans-
format.

2. Me-

2. Meritum & beneficia Christi ob-
scurat.

3. Pijs mentibus veram consolatio-
nem, quam ex Euangelio haurire de-
bent, eripit.

4. Pontificijs erroribus fenestram a-
perit.

VI. LOCVS.

DE TERTIO DIVINAE

legis vsu.

Status.

Quis est Status controuersia?

Triples est legis vsus.

1. Pædagogicus. Lege enim vtcunq;
externa disciplina contra feros & indo-
mitos homines conseruatur.

2. Theologicus, quo peccatores ad a-
gnitionem peccatorum adducuntur.

3. Dialecticus. Lege enim renati do-
centur, vt in vera pietate ambulent, &
sciant qui cultus Deo placeant. De hoc
tertio vsu controuersia est orta, videli-
cet an lex etiã renatis sit inculcanda, vt
ex ipso bona opera discant: Vel an do-
ctrina de bonis operibus faciendis ex
lege depromatur & vrgeatur.

The-

Thesis.

Quae sunt in Thesi observanda?

Tria.

1. Doctrina de liberatione à lege.
2. Causæ, cur lex renatis sit norma bonorum operum.
3. Discrimina operum legis & fructuum Spiritus.

Quomodo liberamur à lege & eius maledictione?

Credentes sunt liberati à lege per Christum, quod ad iustificationem, & quod ad imperium eius & coactionem, Et sic dicuntur liberi, non autem quod ad obedientiam. Lex enim moralis est æterna, atque ideo per Christum redempti sumus, ut legem Dei die nocteque meditemur, & in ea quotidie nos exerceamus. Vtrumque ergo est statuendum: Et iusto non est lex posita, sed iniustis. Item: Non sumus sub lege, sed in lege, 1. Cor. 9. Priorres enim sententiæ, per Christum reconciliatos, maledictione legis obrui non posse, monstrant. Posteriores verò eosdem ad obedientiam iuxta legis præscriptum, astringi docent, non tamen coactione.

Quare

Quare lex renatis est norma bonorum operum?

Rationes firmissimæ hæ sunt.

1. Regeneratio & renouatio in hac vita nondum est perfecta, sed duntaxat inchoata. Vetus enim Adam adhuc in omnibus viribus residet, & aspondon bellum cum Spiritu gerit. Ergo necesse est, vt homini lex Dei semper præluceat. Rom. 6. 7. Gal. 5. 1. Ioh. 1.
2. Ne renati propria quadam sanctimonia & de suo ingenio ἐθελοθρησκείας fingant, sed sciant, qui cultus Deo placeant.
3. Vt admoneantur imperfectionis & immundicie.
4. Ne Vetus Adam pro ingenio viuat, sed potius contra suam voluntatem nõ modo admonitionibus & minis legis, sed pœnis & plagis coherceatur, vt vetero excusso Spiritui sancto obtemperet.

Quod est discrimen operum legis & Spiritus?

Ad euoluendam hanc quæstionem necessario explicandum est, quid sit Euangelij & legis officium in exercitio bono-

bonorum operum. Lex inculcat voluntatem & mandatum DEI, vt in noua vita ambulemus, at vires & facultatem nouam obediendi, inchoandi, & præstandi non donat. I. Primo enim Spiritus S. per Euangelium suppeditat hominem iustum. II. Deinde per Euangelium acceptus & habitans in iustificato renouat cor eius, cuius renouationis fructus sunt bona opera. III. Tertio vitur opera legis, vt renouatum doceat, quibus operibus danda opera fit, vox autem legis vnā rem significat, scilicet voluntatem DEI, siue pœnitentibus siue impœnitentibus proponatur. Vnde discrimen quoad obedientiam & opera duntaxat in hominibus est, quod secūdum legem viuunt. Non renati enim legi obedientiam qualemcunque à lege requisitam præstant, sed non nisi coacta obedientia à renatis, quatenus adhuc carnales sunt, extorquetur. Hæc opera proprie à Paulo, legis opera, vocantur, à lege enim sunt extorta. Renati vero quatenus renati sunt, spontè & liberè non ex legis coactione, sed ex Spiritus S. ductu secundum legem & ad normam legis opera

F pro-

proferunt. Talia opera non sunt proprie legis opera, sed opera gratiæ & fructus Spiritus appellanda.

Antithesis.

Quædamnas hoc loco?

Damno dogma illud Antinomicum, Quod lex DEI non sit pijs & credentibus, sed tantum impijs proponenda, & quod apud hos solos vrgenda sit: Vel doctrinam de bonis operibus faciendis non ex lege depromendam: sed tantummodo doctrina Euangelij Christianos ad bona opera inuitandos esse.

Cur damnas?

Quia disciplinam Christianam soluit, & verè pietati aduersatur.

VII. LOCVS.

DE COENA DOMINICA.

Status.

Quis est Status controuersia?

Quæritur: an in Coena verum corpus & verus sanguis Domini nostri Iesu Christi verè & substantialiter sint præsentia, an cum pane & vino distribuuntur & ore sumantur ab omnibus vten-
tibus

tibus siue dignis siue indignis, illis ta-
men ad salutem, his vero ad iudicium.

Thesis.

Quae sunt in Thesi observanda?

Quatuor.

1. Defensio ἡ πρώτη in verbis Testa-
menti Christi.
2. Consecratio & pronuntiatio ver-
borum Testamenti, & regula Sacramen-
torum: Nihil habet rationem Sacramen-
ti extra usum diuinitus institutum.
3. Fundamenta contra Sacramenta-
rios.
4. Manducatio indignorum.

*Quomodo probas urgendum esse τὸ πρῶτον in
verbis Christi, nec admitten-
dam διαβολαν?*

Si retentio ἡ πρώτη impingeret in artic-
ulum fidei, διαβολα relinqueretur locus.
At consentit τὸ πρῶτον cum fidei articulo:
Credo in Deum omnipotentem, &c. Er-
go est retinendum. Constat igitur verba
Christi non aliter accipienda esse, quàm
sicut verba ipsa ad literam sonant: Et
Coenam Domini reuera esse corpus &
sanguinem Christi, non quod ad effica-
ciam tantum sed etiã quod ad essentiã.

E 2

Quid

Quid sentis de consecratione?

Non recipimus figmentum de consecratione, quod vel vllius hominis verbum vel opus siue pronuntiatio ministri, siue dignitas eius, seu manducatio seu fides, causæ sint præsentia corporis & sanguinis, vel illa præsentia efficiant. Nō enim vim magicam verbis attribuimus, alioquin plura essent corpora Christi quàm vnum, & maiestas creationis attribueretur creaturæ. Sed hoc totum & in solidum verbo & institutioni atq; ordinationi Christi est ascribendum. Per verbum ac virtute primæ institutionis hodie etiam adhuc efficax est Christus, vt quamprimum edat vocem suam.

*Sed cum pronuntiatio non efficiat corpus
& sanguinem Christi præsentia,
cur est necessaria?*

Verba institutionis non sunt omit-
tenda, sed recitanda publicè propter
has causas.

I. Propter mandatum Christi. Ille enim dicit: Hoc facite. Non igitur omit-
tendum est, quod Christus in sacra cœ-
na fecit, Et Paulus dicit: 1. Corinth. 11.
Quotiescunque feceritis, mortem Do-
mini

mini annunciabitis. Matth. 26. Mar. 14.
Luc. 22.

2. Ut auditorum fides de substantia & fructu Sacramenti (de præsentia corporis & sanguinis, & de remissione peccatorum, omnibusq; beneficijs Christi, morte & sanguinis profusione partis, in Testamento donandis) per verba Testamenti excitetur & confirmetur.

3. Ut Elementa ad sacrum usum benedicantur & sanctificentur. Sic Paulus loquitur: Nonne calix cui benedicimus, &c. Hæc εὐλογία seu benedictio non fit alia ratione, quàm verborum institutionis repetitione & recitatione, quæ tamen non sola efficit sacramentum, si nõ tota actio cœnæ iuxta Christi ordinationem obseruetur.

Quæ est sententia regula: Nihil habet rationem Sacramenti extra usum a Christo institutum?

Dupliciter vsurpatur hæc regula, Dextrè & Subdolè.

Quomodo dextrè?

Quando phrasis (extra usum) de tota visibili actione quæ in consecratione

F 3 seu

seu verbis institutionis, distributione & assumptione consistit, intelligitur. Cum enim extra hunc usum in missa non distribuitur, sed offertur vel includitur, vel circumgestatur, aut adorandus præponitur, vel quando aqua Baptismi ad campanas baptisandas, aut ad curandam lepram adhibetur, aut adoranda proponitur, rectè istis abusibus ista norma opponitur.

Quomodo subdolè?

Cum Sacramentarij eam interpretantur de usu fidei interno, ac sentiunt summationem Coenæ infidelibus non esse Sacramentum, & fieri communicationem corporis Christi tantummodo spiritualiter per fidem, aut fidem hoc præstare, ut corpus Christi in Coena præsens sit. Sic ergo reijcimus. Non enim plus fidei nostræ, (quippe quæ corpus Christi præsens sistat & participet) quàm omnipotentiaë DEI ascribimus, sed rotundè docemus: Quod nostra fides Sacramentum non efficiat, sed verbum DEI & institutio Christi hoc præstent. Verbo enim DEI neq; vel dignitate, neq; vel indignitate ministri, neq; sumētis incredulitate quic-

quicquam derogatur, aut virtus eius e-
neruatur. Vt enim sanctum manet Euan-
gelium Christi, etsi quidam illi non ad-
hibent fidem: Idem etiam fit in perce-
ptione Sacramenti.

Quae habes fundamenta contra Sacramentarios?

A Luthero in confessione maiori quae
tuor ponuntur fundamenta.

1. Unio personalis.
2. Sessio ad dexteram.
3. Verbi DEI veritas.
4. Varij modi praesentiae Christi.

*Quomodo conuincuntur Sacramentarij
primo fundamento?*

Christus est verus Deus & homo, in
vnitate personae inseparabilis & indiuis-
sus. Ergo vbi Deus est, ibi etiam est & po-
test esse Christus homo. Non enim sunt
duae diuisae personae, sed vna tantum. At
vbicunq; demonstrares locum, in quo
esset Deus & non homo: certò mox se-
queretur diuisam esse personam. Quod
igitur in verbis Testamēti dixit Christus,
illud & nouit & potest praestare.

Quomodo conuincuntur secundo fundamento?

Christus ratione humanitatis suae col-
locatus est ad dexteram DEI, Eph. 1. 4.

F 4

Ebr.

Ebr. 1. 7. 1. Pet. 3. Luc. 22. Matt. 26. Phil.
2. Ergo præsens gubernat in manu sua
& sub pedibus suis habet omnia, quæ
in coelo sunt & in terra. Vnde & ea quæ
promisit præstare potest.

*Quomodo conuincuntur tertio Fun-
damento?*

Ex verbis coenæ immota & infallibi-
lia argumenta depromuntur.

Quod est primum argumentum?

1. Circumstantiæ institutionis eos cõ-
uincunt. Nam mandatum Christi de non
edendo corpore suo, &c. sonans, innuit,
quod de vero & naturali pane & natu-
rali vino & de manducatione orali lo-
quatur. Ergo nulla est in vocabulo pa-
nis metaphora, quasi Christus corpus
spiritualem panem aut spiritualem ani-
mæ cibum dicere voluerit. Deinde ne
metonymia in vocabulo corporis in-
telligeretur, aut Christus de signo cor-
poris sui, aut symbolo, seu figurato cor-
pore, aut de virtute seu efficacia corpo-
ris sui, seu deniq; de beneficijs, quæ ob-
latione corporis sui nobis promeruit,
agere existimaretur, declarationem an-
nectit, se de vero substantiali corpore
in

in mortem tradendo, & de vero & substantiali sanguine, in remissionem peccatorum fundendo, locutum.

Quod est secundum?

Consensus trium Evangelistarum & Pauli murus est aheneus contra Sacramentarios. Verbis enim & syllabis iisdem hæc verba Christi: *Hoc est corpus meum*; recitant sine omni tropo & figura aut variatione. Hinc dubium non est, quin verba: *Hic calix est novum Testamentum in meo sanguine*, quæ sunt Lucæ & Pauli, aliam sententiam non habeant quàm Matthæi & Marci: *Hic est sanguis novi Testamenti*.

Quod est tertium?

Pauli declarationes sunt planissimæ, sic enim ait: Calix benedictionis nonne est *κοινωνία* sanguinis Christi? Et panis quem frangimus, nonne est *κοινωνία* corporis Christi. Primum enim vox *κοινωνίας* non significat tantum commune ius vel societatem cum corpore Christi, sed participationem. *κοινωνία* enim per vocem *μετοχήν* exponit. Deinde non de spirituali communicatione, quæ fit per fidem, sed de sacramentali, id est,

corporali, quæ fit ore corporis, loquitur, idq; ratio & circumstantiæ cōcionis illius Paulinæ confirmant. Primò enim generatim loquitur de manducatione quæ dignis & indignis est cōmunis, dicens: Omnes vnum panē participamus. Deinde obijcit hypocritis participationem, & eos deterret. Iam verò indigni expertes sunt spiritualis manducationis, & illa nemini obest, & ea nemo abuti potest, & ab illa homines non sunt deterrendi. Tertio. Si Paulus spiritualem *κοινωνίαν* adserere voluisset, non dixisset panis, sed Spiritus aut fides est communicatio corporis Christi. Fides enim est medium, quo spiritualiter manducamus carnem Christi. At Paulus affirmat, panem esse communicationem corporis Christi, & omnes indignos & dignos eiusdem fieri participes. Concluditur ergo, Pauli verba non esse de spirituali communicatione cum Christo, sed de sacramentali & orali accipienda.

*Quomodo conuincuntur quarto
fundamento?*

Iuxta scripturam tres sunt modi præ-
sentia

sentia corporis Christi, quibus potest
esse alicubi.

1. Physicus, localis, visibilis, circum-
scriptus ex differentia naturarum & pro-
prietate humani corporis ortus: in hoc
mundo quem locum occupavit, quam-
diu versatus est: & ita cum angelis & bea-
tis in coelo vult & potest conuersari se-
cundum verum corporis modum, loca-
tione corporali, qua etiã ratione exiuit
ex hoc mundo & nobiscum nõ ita con-
uersatur ante iudicium vltimum. Huc
pertinent dicta: Surrexit non est hic. Itẽ.
Relinquo mundum. Et pauperes semper
habetis &c.

2. Spiritualis & hyperphysicus, qui
est & erit in glorificatis corporibus, vt
sint spiritualia, perfecta, agilia, leuia, & in
iecta oculi vbi velint. Hoc modo vltus est
Christus, cum nasceretur homo ex vir-
ginis clauso vtero, cum ambularet super
aquas, cum dispareret & fieret *à partu*,
cum resurgeret per sepulchrũ obsigna-
tum, cum ingrederetur ad discipulos per
ianuas clausas, cũ ascenderet ad coelos,
& nubes & coelos omnes penetraret, il-
lisq; excelsior fieret. Item, Cũ est in
Cœna.

3. Est

3. Est Maiestatis, quo humanitas Christi ad dexteram virtutis & maiestatis Dei collocata est, extra & supra omnia loca, & omnia implet ratione vnionis personalis & inde profluentis *κοινωνίας*. Patescit igitur cū Christus varios habeat præsentiæ modos, quod ea, quæ promisit præstare possit. Notandum autem quædam fundamenta esse probationis, quædam declarationis.

Quæ sunt de Indignorum manducatione obseruanda?

Tria.

1. Qui sint Indigni.
2. Quid accedentes ad coenam accipiant.
3. Quomodo illis sumtio cedat.

Quinam vocantur à Paulo Indigni?

Vt digni sunt infirmi in fide, pusillanimes & sese probantes homines per særiam poenitentiam, quos benignissimè inuitat Christus Matt. *xx*. Ita indigni sunt impœnitentes & hypocritæ, qui sine vera contritione & fide ad Coenam Domini accedunt. Non sunt duplices vt quidam indignorum distinctionem fabri-

fabricarunt, nec etiam sunt conuersi infirmi & exigua fide præditi, vt garrunt Sacramentarij. Paulus enim opponit inter se indignè edentes, & sese probantes. Et Christus ait: Qui crediderit, siue is firma, siue infirma fide præditus fuerit, habet vitam æternam. Vnde dignitas conuiuiarum huius coenæ, neq; ex magna, neque ex parua infirmitate aut firmitate fidei, vel ex virtutibus nostris, aut interna aut externa præparatione pender, sed in merito Christi consistit. Illud nobis vera fide applicatur, & de applicatione eius per Sacramentum certi reddimur & confirmamur.

Quidnam accipiunt Indigni.

Non tantum panem & vinum accipiunt, sed etiam verum corpus & verum sanguinem. Paulus enim, I. Corint. II, affirmat, quod ij qui indignè de hoc pane edunt, aut de Calice hoc bibunt, rei fiant, non panis & vini, non signorum & symbolorum tantum, aut figuræ sed corporis & sanguinis Christi, & quidem edendo ac bibendo. Iam nemo rei alicuius reus peragitur edendo & bibendo, nisi quam præsentem contume-

humeliosè tractauit. Deinde causam ad-
dendo expresse dicit Paulus: Eò quod
non discernunt corpus Domini. Non
dicit symbolum aut signum corporis.
Nemo enim potest discernere rem à re,
nisi res discernenda adsit.

*Iam igitur enarra, quomodo cedat in
dignis illa sumtio?*

Duplex est manducatio carnis Chri-
sti. Vna spiritualis de qua Ioan. 6. agitur,
quæ Spiritu & fide tam in verbo quàm
in coena fit, & est per se utilis & saluta-
ris, & omnibus Christianis omni tem-
pore ad salutem necessaria. Altera est Sa-
cramentalis & corporalis, qua impij &
pij participant corpori & sanguini Chri-
sti, sed diuerso fine. Pij enim ad salutem,
impijs verò ad iudiciũ cedit. Hinc Chri-
stus ad illam oralem manducationem
etiam spiritualem requirit, cum inquit:
Hoc facite in mei commemorationem. Hic
enim fidem (quæ est corporis spiritualis
Christi participatio) postulat, quod sine
hac corporis manducatio accipienti-
bus, non modo non salutaris, sed noxia
etiam, & damnationis causa esse soleat.

Quod

Quod si corporalis est manducatio, sequetur ipsam esse Capernaiticam?

Oralem & corporalem manducationem non intelligimus crassam, carnalē, Capernaiticam deuorationem & ingurgitationem carnis Christi in ventrem. Cum enim corporalem appellamus, nō de modo loquimur, sed à præsentia veri corporis & essentiæ ita nominamus. Modum verò præsentiæ corporis Christi, cum non sit naturalis seu Physicus, supernaturalem & incomprehensibilem esse fatemur.

Ergone corporalis illa manducatio spiritualis non dicitur?

Imo est & dicitur spiritualissima, obseruato tamen conuenienti discrimine. Nam Sacramentarijs vox spiritualiter nihil aliud significat, quàm spirituales illam communionem, quando per fidem Christo incorporantur credentes, & eius membra fiunt. Sed nos cum Luthero vtentes hoc vocabulo, spirituales & supernaturalem modum, iuxta quem CHRISTVS in cœna præsens est, & non tantum
in cre-

in credentibus consolationem & vitam, sed etiam in infidelibus iudicium efficit, intelligimus. Et ita per illud vocabulum Capernaiticas imaginationes reijcimus. Sic enim rectè dicitur corpus Christi in Coena spiritualiter adesse, accipi, edi, & sanguis eius spiritualiter bibi. Licet enim participatio illa ore fiat: tamen modus spiritualis est.

Antithesis.

Quae sunt in antithesi obseruanda?

Duo extrema, Pontificiorum scilicet & Sacramentariorum deliramenta.

Quae sunt deliramenta seu dogmata Pontificiorum?

Plurimæ sunt prophanationes & abusus Coenæ dominicæ apud Papistas, inter quos hi sunt principales:

1. Transsubstantiatio panis in corpus Christi, & vini in sanguinem eius, ita ut pane & vino consecratis & benedictis substantia & essentia amittatur, & in substantiam panis & vini conuertatur, solis externis speciebus panis & vini, solis accidentibus sine subiecto remanentibus.

2. Re-

2. Repositio, inclusio & circumgestatio panis consecrati ἐν κιβωτίῳ.

3. Ἀρτολατρεία siue panis adoratio.

4. Sacrificium Missæ ἱλαστικόν, siue oblatio pro viuis & mortuis.

5. Opinio impia de opere operato sine fide, etiam sine bono motu vrentis.

6. Mutilatio coenæ, qua vnam partem Laicis adimunt.

Cur hæc deliramenta damnas?

Quia pugnant cum institutione Christi & cum vniuersa scriptura. Nam

1. Post consecrationem panis ὄχλα-
εῖσις vocatur panis, 1. Cor. 11. Probet
se homo, & sic de pane hoc edat.

2. Nihil habet rationem Sacramenti
extra vsum diuinitus institutum.

3. Cultus adorationis soli D E O est
tribuendus. Deut. 6. Matt. 4. Dominum
D E V M tuum adorabis, & illi soli ser-
uies.

4. Nullum est sacrificium propitiato-
rium præter vnicum Christi semel ob-
latum & factum in cruce, nec indiget
iteratione. Vnde Ebr. 9. 10. Rom. 6. Vox
semel ponitur. Item. Vnica oblatione
scilicet in ara crucis, non in coena. Ibi

G enim

enim obtulit se Deo patri, sed hic exhibuit & dedit corpus manducandum & sanguinem bibendum.

5. Confert hoc sacramentum remissionem peccatorum & Spiritum S. Promissio enim annexa est: Quod pro vobis traditur, qui pro vobis in remissionem effunditur. At promissio sine fide irrita est; Et Paulus iniungit homini, ne sine probatione sui, quæ fit fide & poenitentia, ad coenam accedat.

6. Tota Ecclesia Corinthiaca vtrâque parte coenæ vtitur. I. Cor. I I. Et Christus inquit: Bibite ex hoc omnes. Ergo nemini vult subtrahi calicis vsum.

Quæ sunt Sacramentarium deliramenta.

Sacramentarij dupliciter coenam deprauant. Nam & substantiam sacramenti & efficaciam eius euacuant. Sic enim docent:

1. Verba institutionis non simpliciter in propria sua significatione accipienda esse, sed per tropos & figuratas significationes esse torquenda.

2. Oralem & corporalem sumptionem

nem corporis & sanguinis Christi nul-
lam esse, sed corpus & sanguinem spiri-
tualiter duntaxat per fidem sumi & par-
ticipari, seu fidei tantummodo virtutem
& operationem & meritum longe ab-
sentis corporis Christi distribui & com-
municari. Et iuxta hunc modum intel-
ligendam esse unionem sacramento-
rum, videlicet de analogia signi & si-
gnati.

3. Quod panis & vinum tantummo-
do sint tesserae & notae professionis.

4. Quod panis & vinum sint tantum
figura, symbola, signa, typi ac similitudi-
nes longissimè absentis Christi corpo-
ris.

5. Quod Christus propter ascensum
in caelos corpore suo, in certo quodam
caeli loco ita sit comprehensus, ut in coe-
na verè & substantialiter praesens esse
non possit, sed potius tam longè à coena
absit, quantum caelum à terra distat, sic
enim Act. 3. exposuerunt verba: Opor-
tet Christum caelo capi.

6. Quod substantialem praesentiam
corporis & sanguinis sui Christus ne-
que promittere neq; exhibere potuerit,

G 2 cum

cum id humanæ naturæ proprietas non ferat.

7. Quod non sola Christi omnipotentia, sed fides præsentia corporis & sanguinis Christi in coena causa sit.

8. Quod impœnites non verum corpus & sanguinem Christi, sed panem tantum & vinum sumant.

9. Quod sit discrimen inter indignos, quorum alij sint hypocritæ, increduli, securi, impœnites: alij verò athei, merè prophani, Eceboli, prorsus impij Epicuræi.

10. Quod etiã credentes ad iudicium sacramentum sumere possint: propterea quod in externa sua conuersatione adhuc imperfecti sint.

11. Dignitatem conuiuiarum non tantum in vera fide, sed etiam in propria hominis præparatione consistere.

Reliquas opiniones blasphemias breuitatis causa omitto.

Cur damnas hæc deliramenta?

I. Quia euertunt & deprauant verba Christi. Vbi enim Christus dicit: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus:

Sacra

Sacramentarij dicunt, Hoc significat corpus vel sanguinem meum; Hoc est figura corporis mei, &c. Hoc est signum vel symbolum corporis mei procul absentis: Hoc est efficacia vigor, virtus corporis mei; Hoc est quiddam abstractum vel eliquatum de corpore meo.

2. Pauli verba euertunt. Non enim dicit: Panis est *κοινωνία* corporis absentis in remotissimis coelis. Calix est *κοινωνία* sanguinis absentis. Non dicit: Panis est *κοινωνία* efficaciam corporis Christi absentis in certo coeli loco: Calix est *κοινωνία* efficaciam sanguinis Christi absentis. Sed est, inquit, *κοινωνία* corporis & sanguinis Christi, iuxta verba institutionis.

3. Adimunt Christo laudem veritatis & omnipotentiam. Negant enim Christum instituisse praesentiam corporis: & affirmant Christo impossibile esse, efficere, ut corpus in coena absq; destructione exhibeat.

4. Nituntur philosophicis speculationibus & principijs, Verbi causa: Impossibile est vnum corpus esse absque loco, vel in loco esse illocaliter, &c.

5. Omnes consolationes praecidunt

mentibus, Arrhabonem certissimum
nostræ redemptionis, qui est corpus Chri-
sti & infirmare conantur, nudis & vacuis
signis in cœna relictis.

VIII. LOCVS
DE PERSONA CHRISTI.
Status.

Quis est Status controversia?

Status hic est: An inter diuinam & hu-
manam Christi naturam, propter unio-
nem personalem sit realis communica-
tio Idiomatum: an verò sit verbalis, nun-
cupatiua seu putatiua tantum.

Thesis.

Quæ sunt in Thesi obseruanda?

Tria.

1. Proprietates naturarum in Christo.
2. Unio personalis earundem.
3. Communicatio Idiomatum, quæ
est effectus & consequens unionis, qua-
lis ea sit, & quæ eius genera seu gra-
dus.

*Quæ sunt proprietates naturarum
in Christo.*

Proprie-

Proprietates diuinæ naturæ sunt: Omnipotentem esse, æternam, immensam, ubiq; esse naturaliter, id est, per se proprietate naturæ. Hæc omnia neque sunt, neque fiunt humanæ naturæ proprietates essentielles in æternum. Humanæ naturæ proprietates sunt, corpoream esse creaturam, constare carne & sanguine, esse finitam & circumscriptã, pati, mori, ascendere, descendere, de loco, in locum moueri, esurire, sitire, algere, æstu affligi, &c. Hæc neque sunt, neq; vnquam fiunt naturæ diuinæ proprietates.

Quæ est doctrina de vnione personali duarum naturarum in Christo?

Tota doctrina de vnione personali hinc tribus capitibus comprehenditur.

Quod est primum Caput?

Diuina & humana in Christo natura sunt non ita vnitæ, vt quælibet per se subsistat, ita vt vtraque sit persona separata, aut quod quælibet singularem personam constituat: sed vt vnus & idem sit DEI & hominis filius in vna persona, in qua simul personaliter

G 4 ambæ

ambæ diuina & humana naturæ vnitæ
sint & subsistant: ita quidem, vt iam post
incarnationem ad integram Christi per-
sonam, non modo diuina, sed etiam hu-
mana natura pertineat, & diuina natu-
ra sine humanitate non sit integra per-
sona & contra.

Quod est secundum Caput?

Quemadmodum vtraq; natura ma-
net distincta in persona Christi, nec vel
separatur vel confunditur vel mutatur:
ita etiam vtraq; naturales suas essentia-
les proprietates retinet. Hinc regulæ:

1. Propria non egrediuntur sua sub-
iecta.
2. Vnius naturæ proprietates essen-
tiales nunquam alterius naturæ pro-
prietates essentielles fiunt.

Quod est tertium Caput?

Cum naturæ in Christo personaliter
vnitæ sint ad constituendum vnum ἰφύσι-
σάμενον, sequitur vnionem non esse per
assistentiam, sicut angelus astat lateri Pe-
tri: nec per attingentiam, sicut duo asse-
res conglutinantur, vt realiter nullam
prorsus inter se communicationem ha-
beant, quod Samosatenicum & Nesto-
rianum

rianum dogma est: Sed per penetratio-
nem, sicut ignis ferrum penetrat, & sicut
anima in toto corpore lucet, ex qua
communio, de qua iam diceretur, pro-
fluit.

*Qualis igitur est communicatio
Idiomatum?*

Vnio hypostatica est fundamentum
& causa communicationis: & conse-
quens & effectus est ipsa communica-
tio: Licet enim tempore simul sint, ta-
men ordine naturæ discernuntur. Qua-
lis igitur est vnio, talis est communica-
tio. Vnio autem non est verbalis nec
physica, sed realis & vera, nec modus
aut phrasis loquendi tantum, &c. Illa
verò realitas iuxta gradus est distributa.

*Quot sunt genera communicationis Idio-
matum, quæ ex vnione personali oris
untur? Tria.*

1. Dicitur vsitate & propriè commu-
nicatio Idiomatum.
2. Communicatio operationum.
3. Communicatio Maiestatis.

*Quid est communicatio Idiomatum quæ
vsitatè sic dicitur?*

G 5

Est

Est prædicatio, in qua ea, quæ unius naturæ propria tantum sunt, alteri naturæ non seorsim quasi leparatæ, sed toti personæ (quæ simul Deus & homo est) attribuuntur. Sic dicitur autor vitæ interfectus, filius Dei seu Deus (non duntaxat homo) natus, conceptus, passus, mortuus. Vnde & virgo Maria verè Θεοτόκος, Act. 2. 1. Cor. 2. 1. Pet. 3. Roman. 5. Act. 20. 1. Corinth. 15. mater & genetrix (non hominis tantum) appellatur. Sic quoque dicitur Iesus Christus heri & hodie, idem & in secula. Heb. 13. Et secundus homo de cælo.

Cur usurpantur in hoc genere distinctivæ particule à sacra scriptura?

Ideo, ne ea quæ toti personæ tribuuntur, simul utriusque etiam naturæ propria statuuntur, & naturæ cum proprietatibus confundantur. Hisce enim particulis ostenditur determinatio secundum quam naturâ idioma toti personæ tribuatur. Roman. 19. secundum carnem. 1. Pet. 3. Mortificatus carne & 4. Passus in carne.

Rectène

*Rectène dicitur in hoc genere solam hu-
manam naturam esse passam?*

Sub vocabulis (toti personæ tribui-
tur, quod vni naturæ proprium est) Sa-
cramentarij Allæosin suam occultant.
Etsi enim totam personam nominant:
tamen vnam naturam eamque nudam
tantum intelligunt, altera penitus ex-
clusa. Quasi sola humana natura pro
nobis passa sit. Hunc errorem Ne-
storianum Lutherus grauissimè retun-
dit. Cinglius vocat Allæosin, cum alia
quid de diuinitate Christi dicitur, quod
tamen humanæ naturæ proprium est, &
contra. Verbi gratia, cum dicitur: Chri-
stum oportuit pati, &c. nugatur quod
vox Christus pro humana natura su-
matur. Caue tibi ab allæosi, est enim
larua diaboli, & Christum æquat alijs
sanctis, qui ipsi saluatore indigent. Item
licet diuinitas nec pati nec mori possit,
tamen cum diuinitas & humanitas sint
vna persona, ideò propter talem vnio-
nem etiam deitati tribuitur, quod hu-
manitati accidit, & contra. Certè per-
sona patitur, crucifigitur, moritur.

Iam

Iam persona est verus Deus. Ergo fili-
lius Dominus patitur, licet in altera sua par-
te, nimirum in humanitate. Ita si consta-
bit allæosis Cingliana, in Christo erunt
duæ personæ diuina & humana. Vbi e-
nim opera separantur, ibi etiam perso-
nam diuidi necesse est. Nullo ergo mo-
do hæc propositiones: Deus passus &
mortuus est, sunt tantummodo prædic-
ationes verbales, id est, verba sine re,
sed reales, imò realissimæ.

*Quod est secundum communicatio-
nis genus?*

Est quando ea, quæ ad officium Christi
pertinent, tribuuntur personæ, non
secundum alteram tantum naturam, sed
secundum vtramque, quia in operibus
officij Christi, quæuis natura suas pro-
prietates habet, & affert actiones non
διηρημένως sed *ἠνωμένως*, id est, non diuisas
sed cointas. Vtraque enim natura agit
seu operatur cum communicatione al-
terius, quod cuiusq; est proprium, vt
Chalcedonense concilium loquitur.

Ergo Christus est Mediator, Redem-
tor, Rex, Sacerdos, Caput, Exauditor,
Iudex, Inspector, Liberator, Resuscita-

tor,

tor, Gubernator præfens, & cui debetur
cultus adorationis, nõ secundum vnã
naturam, sed secundum vtramq;.

*Quod est tertium communicatio-
nis genus?*

Est quod humanitati Christi præter
& supra naturales, essentielles proprietates,
diuina natura impertiuit non tan-
tum incomprehensibilia, creata & finita
dona, multis gradibus omnium etiam
angelorum beatorumq; virtutes supe-
rantia: Sed etiam infinitam, increatam
maiestatem & gloriam & potentiam, &c.
quæ sunt attributa τ λόγος propria, ita
vt in exequendo officio Christi nõ tan-
tum efficacia & virtute naturali seu se-
cundum naturales proprietates: sed et-
iam supernaturali, quam ex illis & se-
cundum illa, quæ ex vnione & exaltati-
one accepit, habet, cooperetur.

*Ergone finita & infinita dona præternatu-
rales proprietates accepit huma-
nitas Christi?*

Verissimum est, duplicia dona super-
naturalia humanæ naturæ in Christo ef-
se, creata & finita, & infinita & increata.

Quæ sunt creata?

Sunt

Sunt dona, qualitates seu habitus, quibus ipsa humanitas formaliter, habitualiter seu subiectiue ornata est, & omnes alias creaturas excellit, omniumque angelorum & hominum sapientiam, scientiam & potentiam &c. multis gradibus superat. Non tamen hæc sunt dona ipsa essentialia Idiomata diuinitatis, sed effecta eius & accidentalia in humanitatem infusa, quibus ita informetur & proficiatur, ut possit esse organon habile, idoneum & sufficienter dispositum, per quod, in quo, & cum quo diuinitas suas operationes exercent & perficiat. De his infusis in se & secundum se inhaerentibus donis & de superabundantia & præeminentia illorum loquuntur dicta hæc Luc. 2. Puer proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines Es. 11. Requiescebat super florem Isai Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, Spiritus consilij & roboris, Spiritus scientiæ & timoris Domini Ioan. 1. Plenus gratia & veritate. Psal. 45. Vinctus præconfortibus. Iohan. 3. Donatus non ad mensuram Spiritu. Es, 61, Vinctus Spiritu

ritu. Hæc autem omnia extra contro-
uersiam sunt posita.

Quæ sunt increata dona?

Vera sunt illa, quæ de creatis donis
humanitati datis dicuntur, quod hu-
manitas ea per se & in seipsa habeat,
sed hæc non satis explicant maiestatem,
quam scriptura humanitati Christi in
tempore datam asserit. Idque probant
hæc argumenta: Viuificatio, omne iu-
dicium, omnis potestas in cælo & in
terra, Spiritus absq; mensura, vniuer-
sale dominium, possessio omnium, ses-
sio ad dexteram maiestatis & potentia
diuinæ, emundatio à peccatis, nomen
super omne nomen, & ab omnibus ad-
orari, omniscientia & omnipræsentia,
Non sunt qualitates seu dona creata &
finita, sed attributa soli diuinæ naturæ
propria.

Sed Christo data sunt hæc omnia iu-
xta humanitatem. Nam caro eius viui-
ficat, Iohan. 5. 6. Pater dedit ipsi o-
mne iudicium, quia filius hominis est.
Habet omnem potestatem in cælo
& in terra. Matt. 28. æternam. Da-
niel. 7. Donatus est Spiritu non ad
mensu-

mensuram Ioha. 3. Omnibus potenter
dominatur. 1. Cor. 15. Omnia ipsi tra-
dita sunt. Matth. 11. Omnia sub pedibus
subiecta habet Psalm. 8. Eph. 1. Heb. 2.
Pater dedit ei potestatem omnis carnis
Ioh. 17. Habet omnia in manibus Ioh.
3. 13. Regnum eius sine fine. Sedet ad
dexteram maiestatis & potentiae diui-
nae. Heb. 1. Luc. 22. Habet nomen super
omne nomen. Phil. 2. Ephe. 1. Et ab om-
nibus adoratur, Phil. 2. Apocal. 4. 5.
Sanguis Christi emundat nos à pecca-
to. 1. Ioh. 1. Heb. 9. In Christo abscon-
diti sunt omnes thesauri sapientiae &
scientiae. Col. 2. Christus etiam non Di-
uinitate tantum: sed assumpta etiam car-
ne sua omnibus creaturis est praesens, &
omnes creaturas praesentes habet. Ephe
1. 4. Mar. 16. Matt. 18. 28.

Ergo non tantum habet qualitates fi-
nitas, sed etiam attributa & λόγος pro-
pria, &c.

*Sed cum proprietates maneant inconfusas
sequitur quod illa communicatio tantum
sic modus aut phrasis loquendi & alia
explicitanda sit, uel ἄλλο id est,
iuxta diuinitatem?*

Nequa

Nequaquam hæc communicatio tantum quasi per phrasin aut modum loquendi dicta, de persona Christi iuxta ipsius diuinitatem intelligitur, sed de ipsa humana natura est intelligenda, idque argumenta tria inuicta demonstrant.

Quænam sunt illa argumenta?

Primum est regula orthodoxæ ecclesiæ consensu approbata: Quæcunque Christus in tempore accepit, ea non iuxta diuinitatem sed iuxta humanitatem accepit. Diuinitas enim cum sit omnisufficiens & nullius indiga, nihil in tempore accepit. Omne enim possidet ab æterno. Quod negare Arrianum est.

Secundum est: Scriptura luculenter testatur, quod virtus viuificandi, & potestas exercendi iudicij Christo data fuit, propterea quia filius hominis est, quatenus videlicet carnem & sanguinem habet.

Tertium est, scriptura non tantum in genere filij hominis mentionem fecit, sed quasi digitum in humanam naturam intendit, inquiens: Sanguis Iesu Christi emundat. Caro mea verè est cibus,

H

& san-

& sanguis meus verè est potus. Id autè
non tantum de merito, sed etiam de effi-
cacia, applicatione, & communicatio-
ne accipiendum est.

*Qua verò ratione confusio, exaquo, aut
abolitio naturarum in Christo re-
moventur?*

Verissimæ sunt regulæ: Propria non
egrediuntur sua subiecta. Et essentialis
vnius naturæ proprietates in æternum,
ne in ipsa quidem vnione, fit alterius
proprietates. Et tamen virtus, vita, pote-
stas, maiestas, & gloria humanitati est
data, non essentialiter, sicut pater filio
essentialiter suam communicat, sic enim
duæ diuinitates constituerentur: Nec
physicè, ita vt proprietates suas diui-
na natura extrà se in humanam natu-
ram transfuderit, quæ ab ea separata
subiectiuè & formaliter in humanitate
tanquam qualitates aut accidentia in-
hæreant, sicut calor ab igne transfusus
inhæreat aquæ calefactæ, vel sicut
dona habitualia subiectiuè
humanæ naturæ.

Si

*Si non est essentialis nec physicus seu acci-
dentarius modus communicatio-
nis, qualis igitur est?*

Modus communicationis fit & est
pro dispensatione vnionis. Quemadmo-
dum enim ignis lucet in toto ferro i-
gnito, & proprietates suas seu vim lu-
cendi & vrendi communicat ferro. Et
quemadmodū anima lucet in toto cor-
pore, & per corpus omnia agit, & reue-
ra vim viuendi & sentiendi &c. commu-
nicat corpori: ita diuina λόγος natura per
hypostaticam vnionem maiestatem suā
humanitati diuinam impertiuit. Quæ
maiestas licet in statu humiliationis ma-
iori ex parte occultata & quasi dissimulata
fuit, tamen nunc post depositā serui
formam planè & manifestè coram omni-
bus sanctis in cœlo & in terra sese exerit.
Rectè igitur asseritur, quod non sit du-
plex maiestas & omnipotentia vtriusq;
naturæ, sed vna & eadem, licet modus sit
diuersissimus. Diuinitas enim essentia-
liter, per se, in se, ἡ ἐν ἑαυτῇ est omnipo-
tens, imo est ipsa omnipotentia. Huma-
nitas verò non essentialiter, sed pro

H 2 œccō

œconomia vnionis τῶ ἐχει est omnipotens, non est ipsa omnipotentia. Hunc modum nostri Doctores vocarunt REALIUM, vt communicationem Maiestatis veram, & cum rei veritate consentientem demonstrarent, & ita communicationi verbali, quæ κατὰ λέξιν aut per phrasin & loquendi modum communicatio dicitur, Item, vt essentiali & physicae illam opponerent.

Antithesis.

Quæ sunt in antithesi obseruanda?

Tria præcipuè capita.

1. Errores de ipsis naturis in Christo, diuina & humana.
2. De vnione personali opiniones.
3. De communicatione idiomatum deliramenta.

Qui nam heretici diuinitatem Christi impugnarunt?

Hi sunt: Cherinthus, Ebion, Photinus, Samosatani, Carpocratiani, Arriani, Montanistæ, Seruetiani, & Anabaptistæ. Hi omnes blasphemarunt, quod Christus non sit verus, naturalis & æternus Deus. Sed ita vocetur, non proprietate

...cipio
Hunc
RE-
esta-
enti-
uni-
per
uni-
phy-
?
isto,
s.
tum
i-
oti-
rri-
ba-
uod
ter-
ro-
tate

naturali ualuit, sed ratione excellen-
tia, officij, & donorum diuinorum, seu
translatiue uel abusiue, sicut Magistra-
tus dicuntur Dij, & Diabolus Deus
mundi, Deus Aaronis Moises.

*Qui nam impugnarunt humanita-
tem Christi?*

1. Manichæi & Marcionitæ.
2. Valentiniani & Anabaptistæ. Ut e-
nim illi delirarunt, Christum fuisse phā-
talma seu spectrum, non humanam na-
turam habuisse: ita hi Christum carnem
suam de coelo attulisse affirmant.
3. Apollinarij, qui λόγον perfectam hu-
manam naturam, quæ anima & corpo-
re constet, negarunt, sed quod loco a-
nimæ diuinitas fuerit, sunt nugati.
4. Monotheletæ concesserunt in Chri-
sto substantiam humanæ naturæ, corpus
scilicet & animam, sed negarunt essen-
tialia idiomata, asserendo vnā tantum
esse intelligendam, uoluntatem, *διῶαμιν*
& actionem, non duas.
5. Eutychiani & Suuenckfeldiani, qui
finxerunt humanitatem Christi per vni-
onem absorptam in diuinitatem. Et si
quæ aliæ sunt furia, quæ iam omittuntur.

*Quinam impugnarunt unionem
personalem?*

1. Omnes hæretici, qui alteram in Christo naturam siue diuinam, siue humanam negant. Nam sublata altera natura, mysterium unionis penitus euertitur.
2. Nestorius & Eutyches diuersis sententijs veram doctrinam de vnione conualserunt. Vt enim ille vnicum Christum in duas distraxit personas, Ita hic duas Christi naturas in vniam confudit.
3. Patroni horum hæresiarcharum. Nestorio enim patrocinantur Sacramentarij & Iesuitæ. Ac licet ore fateantur naturas in Christo personaliter vnitas, tamen cum communicationem realem negent, luce meridiana clarius est, ipsos eundem planè errorem propagare. Ex Eutyche-
tis schola prognati sunt Monotheletæ & Suuenckfeldiani.

*Quinam impugnarunt communica-
tionem Idiomatum?*

1. Omnes qui alterutram naturam Christo adimunt.
2. Nestorius & Eutyches. Cum enim Nestorius cõtenderet, λόγον per assistentiam in Christo habitare, vt in alijs sanctis
Etis.

Etis, per confortium gratiæ, dignitatis,
affectus, donorum: noluit concedere
DEVM iacere in cunis, esse bimestrem &
trimestrem, Mariam esse θεοτόκον, DEVM
crucifixum, duas naturas vnum ὕφιστάμε-
νον esse negavit, & ita vnionem natura-
rum dissoluit, neq; communicationem
idiomatum vllam admisit. Eutyches ve-
rò in alteram deflexit partem, contem-
dendo, naturas non esse hypostatice v-
nitas, sed inter se commixtas, ita vt vni-
one factà, vna existat natura, & proprie-
tates naturarum vtrique naturæ sine di-
scrimine conueniant.

3. Patroni horum hæresiarcharum, qui
sunt Sacramentarij, Monotheletæ, &
Suuencfeldiani.

*Proba Sacramentarios patrocinari Nesto-
rio in doctrina de Idiomatum
communicatione.*

Nestorius vnionem dissoluit, & com-
municationem nullam admisit, vt in
præcedenti quæstione adstructum est.
Sed Sacramentarij habent talia dogma-
ta, quæ vel palàm Nestoriana sunt, vel
Nestorianis æquipollent. Sunt autem
hæc:

H 4 I, Vnio

1. Unio personalis facit tantum nomina communia.

2. Communicatio est tantum verbalis sine re ipsa, cum dicitur, Filius Dei est passus & mortuus. Item sola humana natura pro nobis est passa, nosq; redemit, Et filius Dei in passione nullam prorsus cum humanitate re ipsa communicationem habuit.

3. Humana natura cum diuina virtute, sapientia, potentia, maiestate, gloria, re ipsa & verè nullum habet cōmunicationem, sed tantum titulo & nomine nudo cum diuinitate communicat.

4. Christus duntaxat diuinitate in terris, in verbo, sacramentis, in omnibus deniq; ærumnis præsens est. Et hæc præsentia ad humanam naturam prorsus nihil pertinet. Nihil enim negotij est Christo secundum humanam naturam nobiscum, passione & morte finitis.

5. Christus ne hodie quidem habet perfectam Dei cognitionem & omnium ipsius operum. Item Christo secundum Spiritum humanum certi limites positi sunt, quantum scilicet ipsum scire oportet, & non plus scit quam ipsi conuenit,
& ad

& ad executionem sui officij iudicis ni-
mirum necessario requiritur.

6. Christo impossibile est propter hu-
manæ naturæ proprietatem, vt simul eo-
demq; tempore in pluribus, nedum in
omnibus locis corpore suo esse possit.

7. Dictum Christi, Data est mihi om-
nis potestas, &c. de diuinitate intelli-
gunt, cui restituta fuerit omnis potestas
in resurrectione & ascensione: perinde
quasi in statu exinanitionis eam depos-
uisset & exuisset diuinitas. Aliqui ta-
men fingunt mediam quandam poten-
tiam inter omnipotentiam Dei, & inter
aliarum creaturarum potentiam datam
Christo per exaltationem. Sic hæresi
Arrianæ via de nouo sternitur, vt tan-
dem æterna diuinitas Christi negetur.

Concluditur ergo Sacramentarios
Nestorianam hæresin profiteri.

*Probe Suuencfeldianos Eutycheti
patrocinari.*

Eutyches vt vnionem per confusio-
nem stabiliuit, ita communicationem
quoq; similem introduxit. At Suuenc-
feldiani ferè idem sentiunt docentes:

1. Quod humana natura propter vni-

H s

onem

onem personalem cum diuinitate sit confusa, ab ea absorpta, in eam transmutata, & deificata.

2. Quod humana in Christo natura eo modo quo diuinitas, vt infinita aliqua essentia, & ex virtute aut proprietate essentiali suæ naturæ omnipotens & vbiq; præsens sit.

3. Quod humana natura diuinæ substantiæ seu essentia sua aut in suis essentialibus proprietatibus exæquata sit.

Ergo Sui enceldiani Eutychetis errores propagant.

Cur hæc dogmata omnia damnas?

Quia arcem salutis nostræ euertunt.

1. Nam duas in Christo naturas, vniōnem personalem & inde consequentem communicationem delent.

2. Beneficia Christi eleuant.

3. Promissiones de præsentia & inhabitatione & mansione capitis, regis, pontificis nostri &c. eneruant. Matt. 28. 18. Marc. 16. Iohan. 16. 14. 17. I. Cor. 6. Eph. 3. Gal. 2.

4. Consolationem dulcissimam, quod assumpta natura, cum nuda diuinitas sit ignis cōsumens, quasi medium sit communio

munionis nostræ cum diuina natura, eripiunt. Et deitatem medium, per quod ad communionem cum nobis cognata carne Christi deducamur, constituunt. 5. Verba cœnæ dominicæ, in qua corpus & sanguis Christi sunt certis. arrhabo nostræ redemptionis & reconcilia- tionis elidunt.

IX. LOCVS
DE DESCENSV CHRISTI
ad Inferos.

Status:

Quis est Status controuersia?

Hic est. 1. Quando & quomodo Christus ad inferos descenderit, an ante, vel post mortem.

2. Num anima tantum, an diuinitate sola, an verò anima & corpore descenderit: Idq; an spiritualiter, an verò corporaliter sit factum.

3. Num hic articulus ad passionem, an verò ad gloriosam victoriam & triumphum Christi sit referendus.

Quomodo igitur hanc controuersiam explicas?

Hoc modo. 1. Descendit Christus ad in-

ad inferos post suam sepulturam. Sunt enim diuersi articuli: Sepultus est, & descendit ad inferna.

2. Tota persona Deus & homo ad inferos descendit.

3. Quia coniunguntur hi duo articuli Descendit ad inferna: Tertia die resurrexit a mortuis. Ideo hic ipse descensus Christi ad inferos pars est victoriae & triumphi Christi aduersus Diabolos. Non enim in inferno aliquid noui & mali passus est, quia in cruce dixit: Consummatum est. Ostendit autem diabolis triumphum suum aduersus ipsos: Satanam deuicit, potestatem inferorum destruxit, infernum euertit & expugnauit, & nos e potestate mortis & satanae & e faucibus inferni eripuit.

4. Quomodo autem Christus id effecerit, non curiosè scrutemur. Satis nobis est, si solidam consolationem, quod neq; Satan, neq; ipsi inferi nos & omnes credentes in potestatem suam redigere valcant, ex hoc articulo hauriamus.

X. LO.

X. LOCVS

De Ceremonijs Ecclesiasticis quæ Adia-
phora vocantur?

Status.

Quis est status controuersia?

Num persecutionis tempore, quan-
do edenda est confessio, aduersarijs E-
uangelij in obseruatione rerum adia-
phorarum gratificari, & cum ipsis con-
formem quandam rationem instituere
liceat.

Thesis.

Quæ sunt in thesi obseruanda?

Quatuor præcipue regulæ.

I. Regula.

Res adiaphoræ quæ nec voce DEI
mandatæ, neq; etiam prohibitæ sunt,
sua natura sunt liberæ, id est, ab Ecclesia
Dei vel mutari, abrogari, vel constitui
possunt, si tamen id absque leuitate &
scandalo decenter & bono ordine, &
ad ædificationem Ecclesiæ fiat, & ita in-
firmorum ratio habeatur.

II. Regula.

Nulli ritus & ceremoniæ, quæ reue-
ra ver-

ra verbo DEI aduersantur, sunt pro re-
bus adiaphoris habendæ, sed vt res pro-
hibitæ vitandæ. Deut. 4. 12.

III. Regula.

Quando ritibus per se Adiaphoris
assuuntur errores, non sunt amplius adi-
aphorici propter hoc accidens, sed res
prorsus vetitæ, ideoq; tollendæ, vt cum
illis affingitur:

1. Opinio meriti ad salutem.
2. Cultus DEI.
3. Necessitatis seu coactionis.
4. Perfectionis.
5. Cum docetur illos ipsos ritus esse
imitationem legis Mosaici.
6. Cum asseritur, potestatem esse Epi-
scopis condendi nouas leges, & insti-
tuendi ritus, qui obligent conscientias
sub poena æternæ damnationis.
7. Cum inuehitur: Conformitatem a-
diaphororum graui animaduersione ef-
se vrgendam.

IV. Regula.

Licet adiaphoris nullus istorum er-
rorum affingeretur: tamen si ab hostibus
verbi DEI introducantur, nihil est con-
cedendum neq; permittendum, vt tales
talia

alia nobis ad detrimentum veri cultus
diuini, & ad plantandam & stabilien-
dam Idolatriam obseruanda imponant
& obtrudant. Aliud est cum propter pias
causas magistratus Christianus in suis
territorijs postulat conformationem.
Hic si doctrinae puritas retineatur, non
est temerè magistratui resistendum.

Antithesis.

Quinam hoc loco damnantur errores?

Omnes errores qui adiaphoris affin-
guntur, quales sunt:

1. Cum per se pro cultu DEI habentur.
2. Cum per modum coactionis tanquam necessaria Ecclesiae DEI obseruanda obtruduntur.
3. Cum docetur, quod tempore persecutionis hostibus Euangelij in adiaphoris restituendis, cedere & cum ipsis ea in parte consentire liceat.
4. Quando adiaphora abrogantur, quasi Ecclesiae DEI non esset liberum, quouis loco aut tempore pro re nota & Ecclesiae utilitate vnum vel plura adiaphora recipere, & pro ratione libertatis Christianae usurpare.

GNT.

Cur illos errores damnas?

1. Quia Christus ait: Matt. 15. Frustra colunt me mandatis hominum. Et beneficium Christi & fides euertitur & penitus deletur.
2. Paulus dicit Gal. 5. State in libertate, & ne iterum iugo seruitutis implicemini: Et Matt. 75. Quod intrat in os, non coinquinat hominem.
3. Pro diuersis obiectis diuersimode etiam libertate Christiana vtitur Paulus. Timotheum circumcidit, Titum non. Infirmis enim cedit, obseruatione discriminis ciborum & temporum seu dierum, & ijs omnia fit. 1 Cor. 9. Pseudoapostolis verò cedere recusat. Gal. 2. Sed neq; Titus circumcidi coactus est, maxime propter fallos introductos fratres &c. quibus ne per horam cessimus, vnde & Col. 2. inquit: Nemo vos iudicet in cibo & potu &c. Imò Petro ea in re ludæis cedenti in faciem resistit. Gal. 2. In hoc enim rerum statu non de rebus externis adiaphoris (quæ natura sua per se libera sunt permanentque) vnde neq; mandanda sunt neq; prohibenda

benda, vt vel obseruentur vel omit-
tantur) sed de veritate Euangelij quæ
obscuratur, agitur. Hinc Paulus adiun-
git Galat. 2. Ne veritas Euangelij peri-
clitaretur, sed facta rectaque maneret.
Præterea hîc agitur articulus de liber-
tate Christiana, quâ labefactatâ, idolo-
latriæ fenestra aperitur, & humanæ tra-
ditiones cumulatè pro cultu D E I ha-
bentur. Quin potius idololatræ confir-
mantur. Contra verò piæ mentes per-
turbantur & offenduntur. Matth. 18.

4. Dissonantia ieiunij non dissoluit
dissonantiam fidei.

XI. LOCVS

DE PRÆDESTINA- TIONE.

De Prædestinationis articulo nulla
publicè mota est controuersia inter Au-
gustanæ confessionis Theologos. Quia
verò apud exteros de eo articulo vehe-
menter disceptatum, & inter nostros
etiam homines aliquid gliscere cœpit:
ideo etiam vt omnes dissensiones apud
I poste-

posteritatem præcaueantur, declaratio illius articuli huic scripto est inserta.

Thesis.

Quæ sunt in Thesi obseruanda?

Sex.

1. Discrimen inter præscientiam & prædestinationem.
2. Vnde sit petenda, & quo ordine sit hæc doctrina proponenda.
3. Ordo prædestinationis:
4. Indicia, notæ siue signa, & certitudo electionis.
5. Vfus huius doctrinæ.
6. Voluntas DEI reuelata & arcana.

Quod est discrimen inter præscientiam & prædestinationem?

1. Præscientia est, qua Deus omnia, antequam fiant, præuidet, & ad omnes creaturas tam bonas quàm malas extenditur. Dan. 2. Est Deus in cælo qui indicabit tibi Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in nouissimis temporibus. Prædesti-

destinatio verò tantum ad bonos, & Dei filios dilectos pertinet. Eph. 1. Prædestinans in ipso.

2. Præscientia non est causa mali nec peccati, quæ hominem ad scelus impellat (peccatū enim est ex Diabolo & homine) sed disponit malum (quod neque vult neque approbat, iuuat aut promouet) & metas illi constituit, quo vsque progredi debeat, idq; eo dirigit, vt licet per se malum sit, nihilominus ad sui nominis gloriam & electorum salutem cedat, impij verò confundantur.

Prædestinatio verò non tantum præuidet electorum salutem, sed etiam est causa eorum salutis. Eam enim procurat, efficit, iuuat & promouet. Et super hanc prædestinationem ita fundata est, vt inferorum portæ eam euertere nequeant.

Vnde est petenda doctrina de prædestinatione?

Vera sententia de prædestinatione non ex rationis nostræ iudicio, quæ cogitationes perniciosas excitat: si sum

1 2 electus,

electus, non damnari poterò, quicquid
etiam scelerum designaui: Contra
non sum electus, nihil mihi planè pro-
fuerit, quantumcunque bonum fecero.
Ex verbo autem DEI, & quidem non
ex lege, quæ omnes in desperationem
præcipitat, propter inobedientiam. Sed
ex Euangelio est discenda & haurienda.
In eo enim docetur quod Deus omnes
sub incredulitatem conclusit, ut om-
nium misereatur, & quod nolit quem-
quam perire, sed potius ut omnes con-
uertantur, & in Christum credant.

Quo ordine est proponenda?

Eo ordine, quem Paulus in epi-
stola ad Romanos secutus, progredi-
licet. Is enim primò hominem per le-
gem ad agnitionem peccatorum; Dein-
de ad fidem in Christum; Tertio ad ob-
edientiam mandatorum DEI; Quarto
ad doctrinam prædestinationis tan-
quam immotam anchoram salutis, de-
ducit.

*Quem ordinem obseruat Deus in præ-
destinationis excusatione?*

Præ

Prædestinatio non nudè in arcano
Dei consilio consideranda est, quasi ea
præterea nihil amplectatur, aut ad eam
requiratur, aut in ea meditanda expen-
dendum sit, nisi hoc: Quod Deus præ-
viderit, quinam & quot sint salutem
consecuturi, & qui perituri, aut quasi
Dominus militarem quendam delectū
instituerit, ac dixerit & statuerit: Hic
saluandus est, ille verò damnandus; Hic
perseuerabit in fide, ille non.

Ex hac enim opinione perniciosas
multi cogitationes hauriunt, quæ aut
securitatem & impœnitentiam, aut an-
gustias & desperationem in mentibus
hominum gignunt & confirmant: Sed
eius certum ordinem Deus in verbo
suo decreuit.

Quis igitur est?

1. Redemptio & per Christum recon-
ciliatio.
2. Oblatio, exhibitio, & distributio
meriti Christi per verbum & sacramen-
ta.
3. Efficacia Spiritus S. per verbum

I 3 corda

corda ad pœnitentiam inflectentis & vera fide illuminantis: seu conuersio.

4. Per fidem iustificatio, in gratiam receptio, & adoptio in filios DEI & hæredes Christi.

5. Fide iustificatorum sanctificatio in vera charitate seu renouatio.

6. Gubernatio & directio totius cursus vitæ, & manus diuinæ suppositio.

7. Perfectio operis incepti & ad finem usque conuersatio & confirmatio.

8. Glorificatio & æternæ gloriæ fructio, quæ fructus vltimus & meta est prædestinationis. Rom. 8.

Hi omnes gradus in hoc articulo comprehenduntur, & ceu circuli in catena inter se cohærent, aliusq; ex alio dependet. Nullus ergo horum excludendus & omittendus est in tractatione eiusdem. Sic enim doctrina illa neminem reddet dissolutum vel desperandum, sed dextrè intelligetur & salubriter tractabitur.

Quomodo & vnde agnoscitur quid sint electi?

Rom. 8.

Rom. 8. Quos elegit & hos vocauit.
Illa autem vocatio non fit immediate,
sed per ministerium verbi & Sacramen-
torum. Hinc signa electionis sunt:

1. Vniuersalis Euangelij promissio, id
est ad omnes homines pertinens Luc. 2.
Iohan. 3. 1. Iohan. 2. Matth. 11. 2. Pet. 3.
Rom. 3. 10.

2. Sigilla promissionis seu sacramenta
particulariter & priuatim vnicuiq; cre-
denti promissionem generalem appli-
cantia Gal. 5. Quotquot baptizati estis
in Christum, Christum induistis, 1. Cor.
11. Luc. 7. Matth. 9.

3. Fides Act. 13. Crediderunt quot-
quot ordinati sunt ad vitam æter-
nam.

4. Arrhabe hereditatis nostræ Spiritus
sanctus Eph. 1. 1. Cor. 1. Rom. 8. Spi-
ritus S. præbet testimonium Spiritui nos-
stro, quod simus filij DEI.

5. Noua obedientia Eph. 7. Elegit nos
vt essemus sancti & irreprehensibiles co-
ram ipso in dilectione. 2. Pet. 1. Firmam
facite vestram vocationem & electio-
nem.

I 4

5. Af-

m. 8.

6. Afflictiones. Roma. 8. Quos præ-
sciuit, hos & præfinit, vt conformes
fiant imagini filij ipsius.

7. Vera D E I inuocatio, vt bonum
opus inceptum continuet, & ad finem
vsque perducatur & perficiat. Esai. 42.
Linum fumigans non extinguet, & ca-
lamum quassatum non confringet. Phi-
lip. 2.

Verissimum igitur est electos D E I
esse, qui verbum D E I audiunt & Sa-
cramentis vtuntur, D E V M inuocant, &
in patientia & consolatione sub cruce
perseuerant. Contra verò in electorum
numero non esse habendos, istorum be-
neficiorum omnium expertes.

*Quomodo intelligendum est dictum
Matt. 22. Multi sunt vocati,
pauci verò electi?*

Quemadmodum D E V S decreuit,
quod electos per verbum vocare, Spi-
ritu sancto illuminare, conuertere, & o-
mnes credentes iustificare, in eos æter-
nam salutem conferre velit: ita & de-
creuit,

creuit, quod eos, qui per verbum vocati illud repudiant, Spiritui S. resistunt, & in contumacia perseverant, indurare, reprobare & æternæ damnationi deuovere velit. Et hac ratione intelligendum est illud dictum Christi: Multos esse vocatos, paucos verò electos. Non enim ita accipiendum est, quod eius rei causa sit vocatio diuina, quæ simulata esset & non seria, si DEVS nobis, vt omnes saluentur, ac etiam illis, in quibus bonum opus iam incepit, gratiam suam ad perseverandam dare nolit. Sed damnationis impiorum causa est, malitia eorum qui verbum DEI aut prorsus non audiunt, sed contemnunt, Spiritui S. qui per illud efficaciter operari cupit, repugnant, & quasi viam præcludunt, vt opus suum in eis efficere nequeat, aut etiam auditum abijciunt, sese à DEO auertunt, Spiritum sanctum contristant, coinquinationibus mundi sua culpa & voluntate implicantur, & Satanæ hospitium adornant, quorum posteriora deteriora sunt prioribus. Summa igitur est: quod
I 5 pere-

pereunt impij , neque DEVS , neque
ipſius præſcientia aut prædeſtinatione, ſed
malitia illorum eſt in culpa.

*Quis eſt uſus huius doctrine de
prædeſtinatione?*

Vberrimos continet hæc doctrina
fructus.

Quis eſt primus fructus?

Articulum iuſtificationis confir-
mat, quod gratuito propter ſolum Chri-
ſtum iuſtificemur. Nam ante ſecula mun-
di electi ſumus ad vitam æternam Eph.
1. Nullus ergo locus humanis meritis,
quorum nulla exiſtere poſſunt, relin-
quitur.

Quis eſt ſecundus?

Articulum de viribus naturalibus
aut naturalis arbitrij munit, & omnes
illos errores euertit. Nam ante ſecula
mundi DEVS decreuit & ordinauit,
quod omnia quæ ad cõuerſionem per-
tinent, ipſe vi Spiritus S. per verbum o-
perari velit. Ergo non eſt volentis ne-
que currentis ſed miferentis

Dei. Rom. 9.

Quis

Quis est tertius?

Consolationem de certitudine salutis monstrat. Deus enim nostram salutem in æternum suum propositum (quod falli & everti nequit) collocauit. Roman. 8. Iuxta propositum DEI vocati sumus. Ergo nulla vi Satanæ, nullis mundi machinis everti & impediri potest, Roman. 8. Quis separabit nos, &c. Iohan. 10. Nemo rapiet oves meas, &c. Hinc etiam de futura perseverantia statuimus, quia decretum DEI certum & firmum manet, habens hoc signaculum, Deus nouit suos 2. Timoth. 2. & donum & vocatio DEI sunt sine poenitentia. Rom. 11.

Quis est quartus fructus?

In afflictionibus & tentationibus consolationem præbet. Deus enim ante secula mundi ordinauit, quas tribulationes & quod crucis genus singulis Christianis imponere velit, ut conformes fiant imagini filij DEI, & decreuit quod talem tandem euentum dare velit, ut omnia mala ad salutem nostram cedant, eamq;
pro-

Quis

promoucant. Ergo etiam in ipsa morte exultare possumus. Nam neque angustia, neque mors separare nos possunt à dilectione Christi Romanos 8.

Quis est quintus?

Testatur de mansione Ecclesiae DEI aduersus omnes portas & impetus inferorum.

Quis est sextus?

Multae admonitiones & exhortationes ex hoc articulo depromuntur, quae verbi DEI & sacramentorum contemptum & veterum nobis excutere possunt, ut multi vocati, pauci verò electi, & qui aures habet audiendi, audiat. Item videte quomodo audiat: Nemo virorum illorum gustabit coenam meam.

Quotuplex est Dei voluntas?

Duplex. Reuelata, & Arcana seu incognita.

Quae

Qua est voluntas Dei revelata?

Est certissima & infallibilis voluntas in lege & Euangelio patefacta, quæ nobis ad salutem æternam aspirantibus cognita esse debet.

Qua est arcana?

Est sapientia Dei imperscrutabilis, quam reticuit & occultavit, eamq; intra secretos recessus reservavit, cuius cognitio ad salutem impetrandam non est necessaria.

*Ad quam voluntatem pertinet
prædestinatio?*

Ad utramque.

Quomodo ad revelatam?

Æterna prædestinatio in Christo & non extra Christum est consideranda. Ephes. 1. In Christo elegit nos Deus. Iohan. 14. Nemo venit ad patrem, nisi per me. Iohan. 10. Ego sum ostium, &c. Non est in alio salus, & aliud fundamentum præter Christum poni nequit. Actor. 4. 1. Corin. 3. Reuelatio autem præ-

prædestinationis fit per vocationem, quæ complectitur totum ministerium verbi. Hæc enim est DEI voluntas, vt omnes homines Christum audiant, vitam emendent, pœnitentiam agant, Evangelicæ promissioni fidem adhibeant, ad Christum veniant, & in vera pietate constantes maneant. Quia hæc rationis viribus præstare non possumus, ipse Spiritus S. per verbum & Sacramenta pœnitentiam & fidem vult operari, lapsos reuocare & erigere, illisque ipsis inuocantibus & exercentibus se in pietate, gratiam, vt in bono proposito ad finem vsque progrediantur & perieuerent, largiri. Luc. 11. Pater dabit Spiritum S. peccantibus se. Sic igitur homines ad Christum in verbo DEI reuelatum, tanquam librum vitæ, in quo omnes inscripti, & ad salutem electi sunt, qui salutem æternam consequentur, vt in eo prædestinationem inuestigent & cognoscant, ablegantur.

Quomodo pertinet ad arcanam?

Dubium non est, quin præuiderit & nouerit, quinam sint in Christum credi-

credituri, qui non: Qui ex conuersis in
fide perseueraturi, & qui non: Quique
in peccata grauia prolapsi erigendi rur-
sus sint, & qui in sceleribus perituri.
Haud dubie etiam numerum saluando-
rum probe nouit. Proculdubio nouit
tempus & horam, eamque apud se con-
stituit, quando vnumquemque vocare,
conuertere, & lapsum rursus erigere ve-
lit. Sed quia talia arcana suae soli sapien-
tia reseruauit, non decet nos cogitatio-
nibus indulgere, sed in verbo ipsius re-
uelato acquiescere nos oportet.

Deinde quando videmus. 1. Quod
Deus alicui regno aut ditioni donat
verbum, alijs non largitur. 2. Quod
idipsum ab vno populo aufert, alijs
vero diutius concedit. 3. Quod hic
induratur & in reprobum sensum da-
tur, ille vero qui in eadem culpa haeret,
ad Deum conuertitur: cauendum est,
ne in his rebus expendendis cogitatio-
nibus nimium indulgeamus. Paulus au-
tem certas metas nobis posuit, quous-
que progredi liceat. Iubet enim nos in
illis qui pereunt considerare iustum

DEI

DE I iudicium: in illis verò qui saluan-
tur immensam **D**E I misericordiam.
Roman. I I. Cum eo vsque in huius
articuli meditatione progredimur, tum
in tuta & regia via ambulamus. Quæ-
cunque autem cogitationes extra hos
carceres euagari volent, eas statim co-
hibeamus, & cum Paulo labellum digi-
to compescamus. O homo quis tu es,
qui responsas Deo? O altitudo &c.

*Ultimo loco expone mihi dictum de tracti-
one patris & induratione Pharaonis. Quo-
modo intelligitur dictum Christi:*

*Nemo venit ad me, nisi pa-
ter traxerit eum.*

Ioh. 6. 45

Tractus patris fit per ordinaria me-
dia scilicet verbum & sacramenta. Non
ergo patris & filij voluntas est, vt quis
prædicationem verbi negligat & con-
temnat, & interim expectet, donec à pa-
tre absque verbo & sacramentis traha-
tur, sed verbum audiendum est, per
quod homines virtute Spiritus S. est tra-
cturus.

Sturus. Quod verò non omnes qui verbum DEI audiunt, credunt, non existimandum est, DEVM illis salutem inuidere. Ipsi potius suæ perditionis causa sunt, eò quod verbum DEI, non ea intentione, vt illud serio & cum desiderio discerent, sed vt illud spernerent, & Spiritui S. qui per verbum in ipsis operari volebat, resisterent, audierint. Hinc distinguit Paulus inter opus DEI, & inter opus Diaboli & hominis. Primò enim dicit: Deum vasa iræ multa patientia sustinuisse, & aptata ad interitum non fecisse, alioquin non opus erat patientia. Omnis autem præparatio seu aptatio ad interitum est à Diabolo & homine per peccatum: ita etiam non est causa poenæ damnationis, nec deletur ea, nec vult mortem peccatoris.

Ezech. 33. Deinde de vasis misericordiae asserit, quod Dominus ipse præparauit ea ad gloriam.

R

Quomo

*Quomodo intelligitur dictum de Pharaone,
quod Deus indurauerit
cor eius?*

Quando **D E V S** peccata peccatis punit, indurat, & excæcat homines, non ita accipiendum est, quasi **D E V S** nunquam serio voluisset, vt tales salutem consequerentur. Vt enim resipiscentes in gratiam recipit: ita etiam sponte sese auertentes seuerissime punit, indurat, excæcat, & in æternam damnationem præcipitat. Ergo Pharaon non ideo perijt, quod **D E V S** illi salutem inuideret, vult enim neminem perire, & quod indurat, id est poena antecedentium peccatorum. Cum enim aduersus verbum annunciatum & omnes exhortationes insurgeret, Dominus manum suam ab eo retraxit, eum deseruit, atque ita cor ipsius induratum est, vnde Dominus postea iustum suum iudicium aduersus eum executus est. Hoc & non alio fine Paulus exemplum hoc Pharaonis affert, quam, vt eo ipso **D E I** iustitiam, quam in impoenitentibus demonstrat, decla-

declararet. Nequaquam enim eius mens est, quod Dominus Pharaoni aut vlli alij salutem inuideat, aut quod in arcano suo consilio quenquam prædestinauerit, vt ille nullo modo salutem consequi possit.

Antithesis.

Quæ sunt in Antithesi obseruanda?

Duo errorum genera sunt damnanda, Stoicorum & Pelagianorum.

Quæ sunt dogmata Stoicorum?

1. Quod Deus nolit vt omnes homines pœnitentiam agant, & Euangelio credant.
2. Quando **D E U S** nos ad se vocat, quod non serio hoc velit, vt omnes homines ad ipsum veniant.
3. Deum non velle vt omnes saluentur, sed quosdam non ratione peccatorum suorum, verum solo **D E I** consilio, proposito, & voluntate ad exitium destinatos esse, vt prorsus salutem consequi non possint.

Cur damnas hæc dogmata?

1. Quia D E V M insimulant autorem peccati & damnationis contra illud Zachar. 8. Hæc sunt quæ odi, &c. Psalmo 5. Ose. 13. Perditio tua ex te Israel, ex me verò salus.
2. Quia ansam ad desperationem præbent, & impoenitentes in sua malitia confirmant.
3. Quia vocationem diuinam & totum ministerium, efficaciamq; promissionis Euangelicæ eneruant.

Quæ sunt dogmata Pelagianorum & Semipelagianorum?

Contradicunt, quod non sola D E I misericordia & Christi meritum, sed etiam aliquid in nobis ipsis sit causa electionis diuinæ, cuius causæ ratione Deus nos ad vitam æternam prædestinauerit.

Cur damnas hæc dogmata?

1. Quia causam electionis, quæ est sola D E I

la DEI misericordia, merito & assensui
humano ascribit.

2. Doctrinam de Iustificatione con-
turbat.

3. Articulum de viribus humanis seu
libero arbitrio conuellit, &c.

F I N I S.

Soli Deo Gloria, &c.



orem
illud
Psal-
rael,

præ-
alitia

& to-
omis-

Et

DEI
, sed
usa e-
tione
desti-


st so-
DEI

J E N A
T Y P I S T O B I A E
S T E I N M A N N I .




A N N O
M. D. XCIII.

E



no
ia
HI
3
ni
or
pi
od
ng
3
3
ni






153247

(x 2203709)

R

VD 77
25.



CC
DE
Y


15
15
15

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



2
EROTEMA-
A CHRISTIANAE
ET INVICTAE CON-
CORDIAE, ANNO 80. IN
electoratu Saxonico
publicatae.

Concinnata

Per

M. VVOLFANGVM MAM
PHRASIVM SVPERINTEN-
dentem Episcopatus Mis-
nensis:



I E N Æ
Typis Tobia Steinmanni.
M. D. XCIII.